

ILLUSTRE  
CERTAMEN  
R. P. JOANNIS  
DE BRITTO  
E SOCIETATE JESU  
LUSITANI,

In odium Fidei à Regulo Maravâ  
trucidati,

Quartâ die Februarij 1693.

Autore R. P. JOANNE BAPTISTA  
DE MALDONADO, Societatis JESU.



ANTVERPIÆ,

Apud PETRUM JOURET, in plateâ dictâ de Melck-Marckt, sub signo  
trium Monachorum. Anno 1697.

RES.  
4109743 V.

Ecce ego mitto vos , sicut agnos inter  
lupos. Luc. 10. 3.

Dico autem vobis amicis meis : Ne  
terreamini ab his , qui occidunt  
corpus , & post hæc non habent  
amplius quid faciant. Luc. 12. 4.

02



ALVARO DE ALBUQUERQUE



R.P. IOANNES DE BRITTO Societatis IESU,  
Missionarius Madurensis, in habitu Pandari Malabarici,  
a Regulo Maravâ pro fide occisus 4. Februa. 1693.

TABELLA MISSIONIS MADURENSIS  
 SOCIETATIS IESU  
*Ecclesiae signantur per Litteram O*  
*Locus Martyrii P. Ioannis de Britto per H.*



97 98 99 100 101 102 103

50  
TABLEAU MISSIONS MADRAGASIS  
COPIÉES-LES  
Faites par le Bureau de la Mission  
de la Guyane Française le 15 Mars 1763

ST. JACQUES  
CAYENNE  
TIGRE

BOGOTTA  
KAYAN

BOGOTTA



DEL.

LA.

# SYNOPSIS VITÆ.

**R.** P. JOANNES DE BRITTO Ulyssipone ex illustri sanguine oriundus, infans, ob infirmitatem, Divo Xaverio offertur. Puer, inter nobiles pueros Serenissimo Principi Don Petro, à Rege associatus, Societatem Jesu Adolescens ingreditur. Studiorum curriculum in Academiis Eborensi & Conimbricensi emensus, plurimis licet ex omni parte renitentibus Indias petit, Missioni Madurensi adscriptus. Juvenis per ingentes labores exercitatus, plurimis à gentilitate ad Christum adductis, fidem coram Tyranno professus, tormenta etiam expertus est. Tum in Lusitaniam missus Procurator, declinatis aulæ favoribus, ad Missionem rediit, ut in virum perfectum Apostolica charitate evaderet, ad sanguinis pro Christo effusionem totus anhelavit. Voti tandem compos factus, sub Ranganadeven apud Comorinum imperante. Cujus jussu in Christi odium manibus pedibusque & capite truncatus, dein stipiti affixus, illustre charitatis spectaculum Missionariis, & Orbi universo factus est, quartâ Februarii 1693. Anno ætatis 45. Missionariis Indicæ 20.



# FACULTAS PROVINCIALIS.

**L** *Udovicus Havet* Societatis Jesu per Flandro-belgicam Præpositus Provincialis, potestate mihi factâ ab *Adm. R. P. Thyrso Gonzalez* Societatis nostræ Præposito Generali, & inhærendo Regiis atque Cæsareis Privilegiis, circa impressionem librorum, à nostræ Societatis scriptoribus compositorum, ne quis eos absque expressa & in scriptis obtentâ Provincialium localium facultate imprimere, vel reimprimere possit, aut alibi citra talem facultatem impressos venum exponere in ditionibus sibi subditis, *Petro Iouret*, *Typographo & Bibliopola Antverpiensi*, potestatem facio imprimendi libellum, cui titulus, *Illustrè Certamen R. P. Ioannis de Britto Societate Jesu Lusitani, in odium fidei à Regulo Maravâ crucidati. Autore R. P. Ioanne Baptista Maldonado Societatis Jesu.* In cuius rei fidem litteras dedimus, nostris manu & sigillo munitas, Antverpiæ 8. Maii 1697.

Locus ✚ sigilli.

LUDOVICUS HAVET.

---

APPOBATIO ORDINARII.

Imprimi poterit.

*A. Hoef-slagh Eccles. Cathed. Can.  
Graduat. Libr. Censor.*



# AD LECTOREM.

**A**D oram Coromandelem appulsus ,  
Amice Lector , adverti tam suavem  
P. Joannis de Britto memoriam , ex ejus  
virtutum odore omnium animis inhæsisse ,  
ut in me quoque tanti viri æstimationem  
& amorem non parum excitarit. Crevit  
hic , visis litteris , quas ad me , licet incog-  
nitum , de adventu gratulabundus perhu-  
manas scripsit. At ubi de Madurensis Mis-  
sionis laboribus relationes sæpius relegi ,  
vidique quanta insignis ille operarius pro  
Dei gloriâ egisset , atq; tolerasset : ad amo-  
rem accessit admiratio. Tãdem ubi allatus  
est nūcius , de fortissimo ejus pro fide tuen-  
dâ certamine , ardor me incessit eum toto  
orbe celebrandi : quem omnium notitia ,  
& mors , & vita pretiosissima hoc labore  
meo dignum reddebat. En scriptio-  
nis occasionem. Jam accipe quibus fundamentis  
ejus nitatur veritas. Primum est , P. An-  
dreæ Freire autoritas , post triginta & am-  
A plus

99  
plus annos in vineæ Madurensis culturâ exactos, ad Archiepiscopatum Angamalensem nominati. Hic ad Præpositum nostrum Generalem de Missione frequentes annuas scripsit, è quibus multa de sumpsi: uti ex P. Francisco Laynes ejusdem Missionis Superiore, qui charissimi Patris labores, & præsertim ultimum ejus agonem accuratissimè perquisivit. Huic adjungo P. Hieronymum Telles, qui P. Joannis, & in primâ navigatione Indicâ, & in Missione Socius, intima ejus noverat, mihiq; scribenti præsens adstitit. P. Josephus de Miranda nonnulla etiam, ut testis oculatus, mihi indicavit. Ex his compendium contexui acceleratum: atq; utinam ex hoc charitatis exemplo, in te erumpat scintillula, ô Amice Lector. Plura sine dubio de tanti viri virtutibus, gestis, laboribus, desiderabis enucleatius declarata: specimen interim accipe, dum ex uberiore calamo amplior prodeat Historia.

(1)  
ILLUSTRE CERTAMEN  
R. P. JOANNIS DE BRITTO  
è Societate Jesu,

Lusitani in odium Fidei à Regulo Ma-  
ravà trucidati.

PARS PRIMA.

QUÆ PATREM E LVSITANIA AD MISSIONEM  
*Madurensem deducit.*

S. I.

PATRIS PRIMORDIA.



PECTACULUM Deo dignum, Angelis invidendum,  
viris Apostolicis imitandum, omnibus celebrandum,  
Madurenfis offert Missio: Patrem videlicet Joannem de  
Britto, multa pro fide propagandâ agentem, plura per-  
peffum, fortiffimo deniq; pro eâ tuendâ agone consum-  
matum. Eum Vlyffippo, Regia Lusitaniæ Metropolis,  
in lucem edidit, anno à partu virgineo supra millesimum  
sexcentefimum quadragesimo octavo, Summum Pontificatum gerente Inno-  
centio X. Imperante Ferdinando III. in Lusitaniâ verò regnante Joanne  
hujus nominis IV. Parentes habuit non minus pietate, quam genere illus-  
tres: Patrem Salvatorem de Britto Pereira, Brasiliæ aliquando Prætorem;  
Matrem Beatricem Pereira: quorum nobilitati non exiguum addidit Splen-  
dorem Joannes noster, à sanguine effuso longè clarior, quam ab accepto.  
Magnam ab infantiâ ostendit animi indolem: at corporis infirmam complexio-  
nem. Unde Divo Xaverio à Parentibus oblati, ejus exemplo tunicam ad  
aliquot annos gestavit: totius vitæ cursu præfens Patroni sui expertus præfi-  
dium.

dium. Triennis Patre orbat. At subinde paulo adultior, dum Rex Serenissimo Filio Petro adhuc puero nobiles pueros associat, eos inter Joannes etiam noster adscribitur. In hac nobilitatis Scholâ ad omnem honestatem educatus, litteras etiam virtuti adjunxit: utriusq; Lectionis in Gymnasio Societatis Jesu factus auditor. Jamque decimum ferè & quintum ætatis annum ingressus, memor oblationis à Parentibus Xaverio factæ, cum propius imitari decrevit. Igitur inter ejus socios, quos Lusitani Apostolos vocant, admitti instanter postulat.

## §. 2.

*Societatem Jesu ingreditur.*

**A**dmittitur in Vlyssipponensi Tyrocinio, toto pectore in virtutum exercitia incumbit. Tum biennio strenuè exacto, ad Eborenses Academiam mittitur, humaniores litteras repetiturus & exculturus. Datâ huic studio per duos annos operâ, ad Conimbricense transit Collegium, ubi Philosophicis exercitationibus magnâ ingenii & memoriæ laude diligenter quadriennium impendit. Hoc porro studium, cum assiduitate animaret, tum in primis promovit doctissimorum virorum familiari usu, quos attentè consulēbat. Unde ad Theologiæ quæstiones, quamvis implexas, faciliè enodandas, brevem sibi viam aperuit. Memor interim cum humanis artibus animi ad divina charismata excolendi, florentissimæ illi scientiarum Universitati præclarum Religiosi Philosophi exemplar reliquit. Philosophiæ emensus curriculum Vlyssipponem rediit, Grammaticæ Rudimenta è Cathedrâ traditurus. Hoc Magisterio occupatus, dum igniculos adsequendum Xaverium in Indiam identidem sentit, totus in hoc desiderium exarsit. Ubi intra domesticos parietes Apostoli Præconium prædicare jussus: ejus vitam, & præcipuè Indicos labores, accuratè perpendit. Enimvero tum temporis, Patroni imitandi Zelo accensus, nullatenus quievit, donec facultatem ad Indiam navigandi obtineret: & multis nequidquam resistantibus, tandem obtinuit. Opportunè advenerat ex Provinciâ Malabaricâ P. Balthasar de Costa, ad subsidium illius Provinciæ Socios procuraturus: quibus libentissimè Joannem de Britto, perfervidum nempe & maximæ spei juvenem adscripsit. Jamq; navigationis tempus imminebat, & Britto ad omnia Missionarii ministeria promptior futurus, Sacros Ordines susceperat: cum de ejus in Indias profectioe rumor increbuit. Tum verò dici vix potest, quæ à Matre, à Consanguineis, à Regni Optimatibus, quæ ab ipso Nuncio Apostolico, imo ab ipso Regni regente

regente Petro Serenissimo, & querimoniam, & consilia, contra hanc profectionem insurrexerint.

## S. 3.

*In Indiam navigat, multis licet repugnantibus.*

**A**T Mater præ ceteris hoc Filii decreto percussa, quæ natu maximum pro patriâ fortiter pugnantem jam perdidit, ne simul Adolescentulo jam Religioso, jam viduitatis solatio orbaretur, omnem lapidem movit: ipsius etiam Nuncii Apostolici interponit auctoritatem. Qui licet primo impetu Matri favere videretur: tamen, quâ erat sapientiâ, Filii animum scrutatus, & altiore motus instinctu, divinæ vocationi omnino obtemperandum censuit. Matre igitur & Nuncio jam devictis, solum supererat contra Magnates certamen. Verum omnia obstacula perripit invictus Joannis ardor. Nam ubi nostris, ceterisque; divinam ad Indias vocationem efficacissimis rationibus comprobavit: obicem omnem sublaturus, ab omnium conspectu se eripuit, navi furtim conscensâ. Missionariis Indicis moris est, paucis ante discessum diebus, Aulam adire, & Regiis manibus osculum porrigere: debitum sane gratitudinis, reverentiæ, & fidelitatis obsequium, Regibus utiq; de Societate Jesu meritissimis, & Missionum Indicarum munificentissimis Fundatoribus. Inde uno alterove die prodeunt Missionis Indicæ candidati, è Templo Collegii, à Divo Antonio Eremicolâ nominatissimi, & Socii Vlyssiponensibus comitati, per illius civitatis Regiæ plateas, longo pulcherrimoque ordine deducuntur ad Tagi ripam. Ad spectaculum accurrit innumera cujuslibet conditionis multitudo: quæ Indicos Missionarios, ex effigie Christi è Cruce pendentis, probe distinguit. Hanc enim, ceu novæ militiæ tesseram, præ aliis ad pectus gestant. Hic tandem inter suavissimos affectus, inter uberes lacrimas, fit sociorum discessio: aliis ad navim, aliis domum euntibus. Cum igitur inter hæc ultima urbanitatis officia, multa sine dubio offendicula prævidisset Joannes: prudenti occultatione hæc declinavit. Optata tandem navigationi dies illuxerat, sub medium Martii anni millesimi sexcentissimi septuagesimi tertii: quando è latebris erumpens, Oceanum ingressus est. Eodem exhibat P. Prosper Inforcetta, Vice-Provinciæ Sinicæ Procurator: qui secum electos Missionarios deducebat ad Sinas. Ita ut eodem tempore Ulyssiponensis portus duas Operariorum turmas Indiarum conversioni expediret. Felix sane Emporium, unde quotannis Apostolicæ merces ad Orientem ditandum illustrandumq; deferuntur. Commodum erat navigationi tempus, & Joannes

prospero delatus vento, jam Zonam torridam ingressus, ad lineam æqui noctialem accedebat, mox ut sperabant trajecturus,

## S. 4.

*Divi Xaverii Patrocinium.*

**A**T spem omnem elusit atrox malacia, quæ nec progredi, nec regredi, per multos dies permisit; navi interim ob æstuantem interiorem vortices continuum subsultum patiente: unde ingens vectorum quassatio. Ad hæc inmodicus Solis ardor, noxii aquarum vapores, cibariis primum, deinde corporibus, intemperiem attulere. Tum accedens nutrimenti fastidium, & lethales febres, plurimos confestim ad extrema deduxerunt. Usque ad octoginta Sacro Oleo inuncti, mortem in singula momenta expectabant. Adco miserabili omnium aspectu, ut navis in Nosocomium conversa videretur. Hinc magna & patientiæ & charitatis materia Joanni, ad solandos ægrotos præfero. Usque adeo procedebat lues, ut humanis subsidiis desperatis, ad divina omnino esset recurrendum. Quare D. Xaverius, cujus notissima est in his periculis charitas, ad Deum intercessor omnium votis adhibetur, atque ad hunc finem preces novemdiales instituuntur. Eo porro successu, ut intra paucos dies, & lineæ data transgressio, & omnibus ferè moribundis sanitas restituta sit. Eâ autem velocitate, ut pleno ore faterentur Medici, hoc convalescentiæ beneficium, non nisi prodigio tribuendum. Optato igitur cursu ad Caput bonæ spei ferebatur navis, patrocinante Xaverio. At hic adversantes venti alteram ejusdem patrocinii occasionem præbuerunt. Per dies multos insuperabile videbatur hoc Promotorium: quando Rodericus de Costa, Classis Præfectus, qui totus Joannis consilio agebatur, iterum ad Xaverium novemdiali supplicatione recurrendum proclamat, promissis etiam vicenis argenti scutis ei Nauclero, qui primus præram ad Orientem dirigeret. Et ecce voto obedientibus ventis, eo navis inflectitur, quo omnium tendebat animus: eâ etiam celeritate & constantiâ, ut citissimè Insulam Madagascariam attigerit, & inde feliciter Goam mense Septembri appulerit. Hic pro gratis Deo agendis, pius & frequens ad gloriosum Xaverii Sepulcrum concursus. Joannis verò pietas singulariter eluxit: qui ut Missionis ardentissimo desiderio tenebatur; ita etiam pro eâ obtinendâ preces quam ferventissimas exprobat.

*Ad Missionem se apparat.*

**N**EC frustra : nam exactis quinque mensibus , quos Theologico studio dedit , & jam obtentâ facultate , statim examini se subjecit , ad Missionis iter quantocyus ingrediendum. Nec parva admiratio Magistros suspendit , dum ad eas omnes quæstiones obtulit se responsurum , quæ ex universâ Theologiâ desumuntur difficillimæ. Nec examinis fefellit exitus. Eam nempe studii discretam assiduitatem felici ingenio adjunxerat , ut compendio multa didicerit , quò expeditior fieret ad optatam Ethnicorum conversionem : & Moderatores , cognitâ tum juvenis capacitate , tum zelo , magnam ex Theologico cursu partem amputari , indusserunt. Ut erat Provinciæ Malabaricæ adscriptus : ad illam confestim sese contulit. Inter Indicas Societatis Iesu Provincias habet hoc singulare Malabarica , quod tota ferè ad Ethnicos Neophytosque iis Missionibus occupetur , quas duo Indiarum Apostoli , magnus ille Thomas , & ejus Discipulus Xaverius , pedibus suis peragrarunt , fidei femina illic spargentes. Testantur id relicta passim ab illis Evangelii Præconibus , & Sanctitatis , & prodigiorum monumenta : imo & quam plurima Ecclesiæ ab illis fundatæ. Apostolica vestigia , qua possunt , Malabarici Socii prosequuntur , continuatâ Missionum antiquarum culturâ , & ad novos etiam campos dilatatâ. Cum ergo ad has Missiones Joannes toto pectore anhelaret , tum præcipuè Madurensẽ præ oculis habebat : ut quæ laborum maximè ferax , simulque Christianorum fructuum fœcundissima est.

*Quid Missio Madurensis.*

**N**omen & originem traxit hæc Missio ab urbe Madure , Regni apud Indos sic nominati primariâ. Non tamen ad illius Regni aut urbis fines limitatur : utpote quæ per regna Ginja , Tanjaor , Velour , & Golconda expanditur , quibus Trigerapalis , & Maravicus Principatus , Joannis sanguine illustris , aliæque inferioris notæ ditiones adjunguntur. Ita ut ab ortu in occasum octoginta latitudinis leucas , ab Aquilone ad Austrum ducentas longitudinis ut minimum complectatur. Magnam fanè amplitudinem , si operariorum species paucitatem : imo maximam , si itinerum incommoda , si vitæ discrimina,

mia, si alimentorum tenuitatem, si perpetuos cum Ethnicis conflictus, si  
 alios aliunde labores frequenter subeundos perpenderit. Initium huic Mis-  
 sioni dedit P. Robertus de Nobilibus, Romanus, verè familiâ nobilis, quippe  
 Marcelli II. Summi Pontificis, & Cardinalis Bellarmini Nepos; at zelo  
 Apostolico longè nobilissimus, & æternâ dignus memoriâ. Hic prudenter  
 apud se revolvens, cur ab anno superioris sæculi quadragesimo, vel ipse Xa-  
 verius, vel tot Socii ejus sequaces, adhibitâ quantavis diligentia, nullum  
 Brachmanem ad Christianam fidem adducere potuerint: sapientissimè enim-  
 verò deprehendit, id non tam fidei quam nationis odio factum. Displicuisse  
 scilicet non nullos Europæorum mores, quos Brachmanes averfati, ab eorum  
 quoque religione avertebantur. Et reipsâ explicari non potest, quanto Euro-  
 pæi apud illos Ethnicos superbissimos in contemptu & execratione sint: tum  
 ob multa, licet ridicula, criminationum argumenta; tum maximè ob cædem  
 & esum vaccarum: quas illi in summâ veneratione, pro Diis habent, horren-  
 dum illusæ gentis delirium. Igitur P. Robertus deprehensâ totius negotii  
 difficultate invicto animo rem aggreditur. Gentilitias historias, ritus, leges,  
 religionem, fabulas, figmenta, intimè scrutatur. Europæum hominem, ut  
 potest, exuit, indigenarum assumpto vestitu, & vivendi consuetudine. Ac  
 primo Rajas, qui apud Indos sunt in pretio, cultu exteriore imitatur: at hæc  
 industriâ ad conversionem animarum ei nihil profuit. Brachmanes sæculares  
 deinde imitatus, eorum more sese vestit: funiculum ex gossipio triplicatum ab  
 humeris, seu balthcum honoris tesseram detulit; frontem sandalo, id est, ligno  
 odorifero inunxit. Denique per omnia, demptis coloribus, integrum Brach-  
 manem sese effinxit. Et sic quidem eorum familiaritatem benevolentiamque  
 sibi conciliavit: at conversionem nequaquam obtinuit. Nihilominus, quâ  
 erat animi magnitudine, licet repulsam bis passus, spem tamen non abjecit  
 Robertus. Novam igitur metamorphosim adjuvenit: & à sæculari Brachma-  
 num habitu, ad religiosum transiens, more Saniaffi pœnitentis induitur. Est  
 enim Saniaffi magna inter Brachmanes æstimatio: utpote legis Magistrum, vitam  
 profitentis à divitiis, ab honoribus voluptatibusque alienam; per diem unicâ  
 orizæ comestione contentam: quibuscum non nisi eminus ob reverentiam  
 agitur. Hanc tandem professus vitam Robertus, multos Brachmanum Christo  
 adjunxit. Tanti refert, rem semel susceptam magnis animis prosequi. At piæ  
 Roberti industriæ, quod superstitiosum aliquid involvere viderentur, multas  
 sensere impugnationes, etiam à viris gravissimis: quos tamen egregiè convicit  
 ejus sapientia. Tantæ molis erat Madurensis stabilire Missionem: de quâ  
 cum sapius agendum sit, breviter ejus originem tetigisse sit satis, dum Joan-  
 nem de Britto ad eam properantem magnis passibus subsequimur. Et jam Goâ  
 egressus



egressus Tanorem cum octo Sociis scaphâ pervenerat : unde per interfuentes campis & saltibus rivos, ad Collegium Ambalagate appulsus, nutum Provincialis expectabat.

S. 7.

*Venit ad Collegium Ambalagate.*

**S** Ita est hæc domus, Missionariorum merito dicenda Seminarium, haud procul ab illis montibus, qui densatis per longum tractum culminibus ferræ speciem habent, & nomen. Hæc sunt celeberrima Angamalæ juga, quorum incolæ Thomæi Christiani, acceptam à sexdecim sæculis fidem etiamnum hodie sustentant: ingens omnino Catholicæ Ecclesiæ monumentum. Et quamvis post Græcorum Schisma, in varios quoque errores fuerint delapsi: ut pote ab Episcopis Armenis instructi, qui Alexandrino Patriarchæ subiacebant: inter ipsos tamen errores, clara semper Religionis Romanæ vestigia ostenderunt, sacrificii sub utraque specie formam, Crucis adorationem, pro defunctis suffragia, quadragesimale jejunium, veneranda Sacerdotum ministeria, aliaque multa antiquæ fidei signa retinentes, quibus non licet immorari. Tanta fuit porrò ab ipso exordio Angamalicæ Ecclesiæ dignitas, tum ob Apostoli Fundatoris memoriam, tum ob fidelium multitudinem, & præstantiam: ut ejus Præsules, Archiepiscopi dicti sint, qui suam etiam ad Sinas usque autoritatem extendebant. Cum vero maximi esset momenti, eam à Schismaticâ pravitate purgari: Alexius de Meneses è Sacrà D. Augustini familiâ illustrissimus Indiarum Metropolitanus, Superiore sæculo ad eam perlustrandam sese Goâ contulit. Atque ut erat summâ charitate & sapientiâ præditus, coacto Concilio errores discussit, totamque illam gentem Romano Pontifici conciliavit, ejus regimine in posterum Malabaricis Societatis Jesu Missionariis demandato. In hunc finem exstat Collegium Ambalagate: ubi Ecclesiæ Angamalicæ Sacerdotes, dicti Cassanares, linguam Syriacam ad Sacra Mysteria ex antiquo ritu peragenda edocentur; ut & ceteræ ceremoniæ, ad eorum munus spectantes, magnâ diligentia traduntur. Quo in genere duo notari possunt hujus gentis singularia exempla. Dum quadragesimam observant, non solum à carne, ab ovis & lacticiniis, & omnium piscium genere abstinent; sed etiam, quod ipsis durissimum est, à Bethelis comestione, hoc est, folii ex quodam arbusculo, cujus esus, adeo communis est genti Indiæ & usitatus, ut ferè perpetua sit illa comestio: tum ad dandam stomacho virtutem; tum ad halitum pravo odore purgandum. Jam verò, dum majora festa peragunt, Primitivorum Christianorum Agapen omnino representant. Quippe juxta Templum

longo ordine dispositi expectant orizæ edulium : quod in prægrandibus ollis ad septem octove millium refectioem excoquitur. Tum accedente Cassare, & bene omnibus apprecante, hic cibus per omnes distribuitur : eoque sumpto, omnes admodum læti inter mutuas gratulationes ad propria redeunt.

*Ex Ambalagate in Sattamangala proficiscitur Ioannes.*

SED neque Sacerdotum dumtaxat, verum etiam plurimorum Adolescentum institutio huic Ambalagate Seminario debetur. Quo cum P. Ioannes de Britto pervenisset, modicâ quiete refectus, & à P. Blasio de Azevedo Provinciali ad expeditam Missionem destinatus, itineri statim se accinxit. Vestem igitur sumit Pandarorum, qui inter Indos ob vitæ austeritatem sunt in pretio, & vulgo pœnitentes nominantur. Hunc habitum, longâ experientiâ edocti Patres, tractandis omnibus Indorum sectis commodissimum censuerunt, & longè commodiorem habitu Saniaffi: quippe vitam à communi consuetudine abstractam profitentes. Itaque dum aliqui ad convertendos Brachmanes, P. Roberti exemplo, Saniaffi more induuntur; alii ad facilem cum omnium conversationem Pandaros imitantur: & optimo sanè successu. Cum verò plagæ Indicæ ardor sit immodicus: totus hic habitus in uno alterove crocei coloris panno consistit, qui aut medio corpori circumpositus, aut ex humeris ad negligentiam defluens, nullum formæ genus certum observat. Ex huius igitur coloris panno, Missionarii tunicæ talaris speciem sibi conficiunt, fragmento altero caput obtegentes. Coma in vertice capitis collecta modicè attollitur: frontem cinere illinunt, ad humeros deferre solent pellem aliquam belluinam, cui aut ad sedendum, aut somnum capiendum incumbunt. Manu vero scipionem ordinario longiorem tamquam Magisterii signum gestant. Pedibus ut plurimum nudi incedunt sine adminiculo: nisi quod interdum soleæ lignæ quoddam genus ad honestam gravitatem deferunt, Tamancos, vocant Lusitani. His plantæ pedum insistent, nullâ corrigiâ aut ligulâ astrictæ, sed quodam clavo ligneo prehensæ, qui inter pedum pollicem & secundum digitum eminens, capite paullo ampliore, soleam elabi non patitur. At quando iter longius agendum est, omnino nudantur pedes, nec lignæ admittuntur pedum ornamenta: sed equi juvat interdum subsidium. Vesti humilis cibus conformatur, quem ferè præbet oriza, & aliquid ex herbis leguminibusve obsonium, aut è lacte quidpiam. Quod vitâ animatur, à Pandarorum victu mensâque omnino rejicitur. Atque hæc Missionariorum

Maduren-

Madurenſium methodus; animos Indorum mirum quantum Deo devincit. Nec poteſt Apoſtolorum imagini videri quidquam conformius, quam Pandaricum hujusmodi veſtimentum: vitâ interim horum Miſſionariorum longè melius Apoſtolos referente, quam veſtitu. Hoc ergo Joannes ritu indutus, iter difficile ad Miſſionem pedes ingreditur: quando aut maritimi litoris circuitione, aut navigatione, paulo commodius ad eam poterat deferri. Verum Xaverii exemplo incitatus, viam pedeſtrem, quia breviorẽ, quamvis per abrupta juga, prælegit. Ac primo quidem die ad radicem montium pervenit, P. Andrea Freire comite, & aliquot Neophytis. Modicum orizæ coctæ ad viaticum in panno goſſipino ferebatur. Currebat menſis Aprilis, & annus hujus ſæculi ſeptuageſimus quartus. Ad montana ſubeunda experto viarum duce omnino opus erat. Dum igitur ſuſſiſtunt, dum peritus locorum inquiritur: ecce ruens è cælo imber omnes ad cutem madefacit, & jam nox imminebat, quando ad vicinum tugurium recurrere compulſi ſunt. Verum incolæ, homines vultu Europæos intuitu, ceterum veſte ac linguâ Pandaros, antequam admitterent, multis eos quæſtionibus ſubjecerunt. Unde venirent, qui eſſent, num cælibes, num conjugati, quot haberent liberos, ſexcenta alia minutiffima (quod gentis vitium eſt peregrinum alloquentis) ad ridiculam uſque importunitatem inquiſiverunt. Tandem quærendo fatigati, advenas reſponſis fatigatos, & pluviâ cadente irriguos ut exciperent, multum conſulerunt duo regionis illius Brachmanes, quos Tamuldica & Bagadarum linguâ allocutus eſt P. Andreas Freire, ſpeque ſua melius & opinione hoſpitium obtinuit, in tugurii angulo cum Sociis poſitus: ubi omnes incanati quidem pernoctarunt, at non ſine copioſo acceptæ pluviæ refrigerio. Ergo poſtridie ſub horum Brachmanum ducatu, ſole jam cadente, montis aſcenſum aggrediuntur, viam ſibi per arbuſta & occurrentia ſaxa aperientes: eo labore, ut ſtatim intellexerit Joannes, viribus utique minime robustus, quam difficilem expeditionem ſuſcepſiſſet. At corporis defectum ſupplente ſpiritu, & ab ipſâ infirmitate animo invaleſcente, eo alacrior pergebat, quo plura occurrebant obſtacula. Ad itineris incommoda accedebat, quod duces tantâ procederent celeritate, ut huic exercitio minimè aſſuetus Joannes, eos ægrè poſſet comitari. Interim aliquod ad quietem ſpatium datur, antequam ad montis interiora & ſilvæ vaſtitate procederetur, ubi paſſim tygrès, urſi, & elephantes, magnum viatoribus metum incutiunt. Nec procul abſuit furioſus elephas: verum propitio numine totam fere noctem progreſſi, cacumina tandem illa ſuperarunt, conſectis partim noctu, partim die ſubſequentẽ, undecim leucis: & totidem ſupererant, ut ad Sattamangala pervenirent. At Joanni non tantum intumuerant pedes, verum etiam cruentati patebant in vulnera: ſeiſpo tamen

fortior, eo usque progredi valuit, ubi Christianos inveniret. Quos ad illam residentiam appulsi, magno concursu obvios habuit, & de Pastorum suorum adventu maximè gratulabundos. Porro hic conspectus, etsi lætitiâ Patris animum impleverit, ea tamen erat ex tolerato labore fatigatio, ut febris superveniens eum ad extrema deduxerit. At post mensem, viribus utcumque reparatis, ad regnum Madurense perrexit. Quo cum accessus, ob multos obices, non dabatur viâ ordinariâ: iterum per altissimos montes, & Malabaricis non inferiores, fuit subeundum. Unius autem erat tanta asperitas, ut manibus pedibusque arreptandum esset, & arbuta ad ascensum apprehendi oporteret.

## S. 9.

*Ad Missionis ministeria se accingit.*

**D**uos dies tenuit horum montium difficillima transgressio: quando positus in valle peregrinis nox supervenit. Plena erat discriminis, ob tygrum illic discurrentium frequentiam. Unde & excubias per vices agi, & ad modicam quietem securius capiendam, ignes undequaque succendi necesse fuit. Nec parum juvit hæc cautela. Quippe feroces illæ belluæ, ut propius ad rabiem exsaturandam accessere; ita flammæ metu recesserunt. Hoc periculo defuncti primo diluculo ad regnum Meillur progressi sunt. Ubi primùm ad Patrem Ribeiro, deinde paulo ulterius ad Patrem Michaellem, diverterunt, regionis illius insignes sane cultores: à quibus per aliquot dies omnia charitatis officia acceperunt. Hinc mirificè recreati, iter proseguuntur: & pridie Festi S. Ignatio Sacri, ad Residentiam Colei, in regni Ginja ingressu sitam, feliciter pervenerunt. Cognito Patrum adventu, Neophyti maximâ lætitiâ frequentissimi accurrunt: & à Societate Jesu educati, ejus Patriarchæ memoriam, velut optimi sui Parentis, magnâ celebrant solemnitate. Joannes igitur optatam hic opportunitatem nactus, & linguæ ad discendâ, & Indicæ gentis plenius cognoscendâ: in utrumque studium diligenter incubuit. Felici omnino successu: nam præter Bagadarum idioma, cujus usum facilem habuit, Tamuldicam linguam, quâ maximè opus est, perfectè calluit: ut loqui, & legere, scribereque, ei esset facillimum. Nec minus profecit in rituum notitiâ: quos indigenæ, præsertim Brachmanes, exactissimè ad studium observant. Et hæc quidem notitia adeo vineæ hujus cultoribus necessaria est: ut qui eâ caruerit, dum Christianis se beneficium præstare existimabit, eorum ruinam procurare deprehendatur. Quid enim Europææ charitati antiquius, quam promiscue

promiscuè velle cum omnibus, maximis infimisque agere, velle omnes in unum conglutinare.

## §. 10.

*Aliquid de Ritibus Indicis.*

**A**T hoc ipsum Missionariis hujus regionis vitandum est: ni velint Christianos omnes perdere. Quod nuper novellum operarium in magnum impulit periculum, quod zelo impulsus indiscreto, ad proprium sensum, præ antiquissimis Missionariis voluit sapere. Sciendum ergo, ut aliquid per transennam de ritibus Indicis dicam, ex primævâ gentis traditione, & judicio velut irrefragabili, tres esse inter Indos honestas hominum classes, aliam tamen aliâ graviorem. Atque in primâ, Brachmanes sese ipsi constituunt: ut qui ex Dei Brumæ capite se dicunt procedere. Hanc sententiam, veluti ex tripode dictatam, non minus ridiculè asserentes, quam quod de Minervâ ex cerebro jovis prodeunte alij fabulantur. Sed hoc delirium apud Indos jam velut in æternæ veritatis axioma transit. Unde præ ceteris, & nobiles, & litterati sapientisque haberi volunt, talesque vulgo Brachmanes existimantur. Hinc illi omnia officia mechanica respuere; fanis, Deorum cultui, & votum redditibus attendere procurandis, ut maximè apud Malabares solent, alibi etiam negotia civilia tractare, militare regimen affectare, sed præcipuè legis suæ fabulas venditare, & populo insigniter illudere. Secundam nobilitatis classem occupant Rajas, seu gentis Optimates: qui quod ex humeris Brumæ originem ducere censentur, nobilitatem utique paulo inferiorem sibi vendicant. At tertiæ classi adscribuntur Chustres, omnes nimirum, qui ex tibiis aut pedibus Brumæ nascuntur. Et hæc classis, quippe numerosissima, in ordines innumeros subdividitur, semper aliquo honestatis gradu distinctos, licet omnes graves & honesti suo modo censeantur. Hic separatim suum habent locum, qui agriculturam, qui texturam, qui mercaturam exercent. Hac in classe suum habent gradum milites, aurifices, fabri ferrarii, lignarii, alique. Et singulis gradibus sua respondent privilegia: nec potest quisquam extra sui gradus aut conditionis cancellos transire ad alium statum. Nec faber ferrarius fieri poterit aurifex, nec lignarius ferrum potest cudere: quam quisque nascendo sortem nactus est, illâ contentum esse oportet. Et hæc quidem varietas statuum adeo immutabilis, etsi viro Europæo videatur aliquid indignum humanâ libertate sapere, apud Indos tamen hic & alibi, quamvis ridicula, velut in naturam transit. Ab his tribus classibus, veluti hominum genus

infame, & fax plebis sordidissima, excluduntur illi, qui inter Indos per opprobrium Pareas dicuntur. Unde à communi habitatione separati, instar proforum degere coguntur. Illis autem, aut cohabitare, aut convesci, aut familiariter uti, adeo probrosum est, ut ob hoc crimen à generis dignitate excidatur. Nihilominus hæc gens, uti mundo despiciatissima, ita Dei regno est aptissima, & numerosissima: quò fit, ut longè plures ex illis, quam ex aliis Indorum sectis convertantur. At vero magnâ cautelâ, magnâ moderatione utuntur Patres, ne Pareas, sectam gentis abjectissimam, cum aliis honestis miscere videantur: alioquin totum Christianæ Religionis negotium rueret. Sectas igitur gentis cum viderimus: sectas Indicæ religionis alibi referemus. Hæc interim breviter de Indorum ritibus: quos intimè scrutatus P. Joannes, mirâ prudentiâ eos ad Christianæ fidei obsequium habebat, nec minore charitate omnium animos sibi devinciebat.

§. II.

*Infirmos adjuvat.*

**I**nvaluerat tum temporis in illâ ditione morbus non minus lethalis, quam contagiosus: qui statim ab ingressu Residentiæ optimam pietatis exercendæ occasionem Patri præbebat. Itaque ut erat præfervidus, sine metu omnibus aderat, omnes Sacramentorum administratione solabatur. Et hanc felicem sortem expertus est insignis Catechista, nomine Gaudiosus, qui post multa pro fide certamina, post innumeras vexationes ab Ethnicis perpeffas, latus & alacer inter Patris adjuvantis manus, animam Deo reddidit: aliique eandem Patris pietatem in hoc periculoso transitu magno animorum solatio experti sunt. Cum vero hæc regio serpentibus, colubris, aliisque venenatis animalibus abundet: incolas hortabatur Pater, ut in Pauli Apostoli virtute magnam fiduciam reponerent: atque allato ipsis exemplo viperæ ab ipso in ignem excussæ ad Melitenfium omnium stuporem, dicebat in illa insulâ post Apostoli adventum, nullum reperiri reptile virulentum: quin imo, lapillos ex illa insulâ allatos, si utentibus adsit fiducia, vim habere ab ejusmodi animalium veneno præservativam. Quod cum verbo diceret, exemplo quoque comprobavit. Cum enim Melitensem lapillum, quem colubri oculum vocant, Christiano cuiquam dedisset: hic magnâ fide animatus, eum annulo inferuit. Et jam facturus experimentum; primò annulum antidoto vacuum venienti colubro obtulit, qui furiosus ad morsum statim prosiliit: at Christiano mox annulum lapillo Melitenfî armatum proferente, ad ejus conspectum coluber repente

repente exanimatus corruit : stupentibus ad hoc prodigium, illudque testantibus plurimis, qui presentes aderant. Et vero constans est apud Christianos Orientales fama, hoc antidotum usu frequentissimo probatum, deberi meritis D. Pauli : quare rem gratissimam ipsis feceris, si ejusmodi lapillum ex Melita allatum dederis: quem ob reverentiam Divi Pauli linguam appellant.

## PARS SECUNDA.

QUÆ PATREM E. MISSIONE MADURENSI, ubi multa agebat, & patiebatur, in Lusitaniam reducit.

### §. 12.

*Patris labores ob latrocinia, & inundationem.*

**S**Trenuè desudabat in vinea sibi assignata impiger Christi operarius, laboresque ejus ex eo etiam augebantur, quod ob irrupentium latronum incurSIONES & barbaras extortiones huc illuc indigenæ dispersi, ut vitæ suæ consulere, magna tum animarum tum fortunarum damna passi sunt, maximo boni Pastoris pro grege solliciti dolore. Regnabat enim tum temporis in illa ditione celebris ille Raja Sivagi, qui rebellibus suæ factioni maximo numero adjunctis, à Mogore defecerat: quin imo contra eum arma ausus erat attollere, & jam arcem Ginja, quæ regno dat nomen, maximi momenti & nominis munimentum, suæ potestati subjecerat. Sita est in prærupti montis jugo, quod ad habitationem, & cibaria etiam colligenda, commodissimum reddit porrecta planities. Ad hunc montem unicus patet aditus per colles longo tractu protensos, qui tandem ad silvas fere inaccessas deducunt. Subsidium igitur itinere per has silvas & montes occulto, semper ad arcem deferri potest. Unde tota Mogoris potentia, quæ eam nuper obsederat, magnum ex ejus obsidione biennali retulit opprobrium: non modo ob irritam loci impugnationem; sed maxime ob turpissimum ab expeditione susceptâ recessum, quem ab obsessis magno pretio emere coacti sunt, ne copiæ omnes in castris, intercluso undequaque comœatu, miserè interirent. Et hæc quidem victoria hoc anno sub Ram Raja contigit, filio illius famosi Siyasi, qui illam arcem munitissimam, qua dolo, qua stratagemate, ut erat sagacissimus, dudum interceperat: Brachmane Præfecto, qui nomine Regis Golcondæ præerat, insigniter eluso. Cum igitur hoc ipsum Golcondæ regnum

num à Mogore interceptisset, tum maximè sibi metuens Sivagi, undequaq;  
 pervim & nefas subsidia sibi conquirebat, ad regnum quod invaserat sustentandum. Hinc latrocinia, hinc continuæ deprædationes: quibus impulsus F. Joannes, ditione Ginja relicta ad Collegium Tanjaor discessit. Cum verò locus non occurreret ad Sacramenta ad ministranda accommodatus, Sacellum sibi in Tancheri erexit, situ ut videbatur commodissimo. Sed ecce, opinionem sefellit horrenda inundatio, præsentem intentans mortem. Mediæ leucæ intervallo à fluvio Coloram exstabat ædicula, loco aliquantum eminente: at noctis intempestæ silentio, subita aquarum alluvione, flumen adeo intumuit, ut ex alveo erumpens, & torrentium concursu latè diffusum, ædiculam circumcincerit. Magnus illico strepitus, magna trepidatio: cum aquis jam sepultos se existimarent, qui se in azylo positos putabant. Hac vociferatione excitatus Pater, ut vidit per maceriæ canales aquam subingredi, & Sacelli aream jam repleri, aditus omnes obturari curat. Verum magno impetu supervenientes aquarum moles, vallum terreum, quo ædicula claudebatur, facile perruperunt: atque à fronte Sacelli facta primùm ruinâ, omnes aquis pectore tenus immerguntur. Sexdecim aderant cum Patre Christiani: qui crescente in momenta diluvio etiam ad collum pertingente, de vitâ conclamabant. At Pater eos ad fiduciam cohortatus, sumpto unanimiter consilio fortiter adjuvit. In proximo erat saltus, & terræ tumultus utcumque eminebat. Huc ig. ur, licet magnum esset à colubris periculum, in maximo vitæ discrimine progredi decernunt: & superatis aquis tandem perveniunt. Exstabat adhuc pars alicujus maceriæ, quæ tugurium aliquod ibi sustentarat: asser etiam ex ruina superstes occurrebat. Pars ergo maceriæ, pars asseri incumbit. Dumque ibi crescentibus semper aquarum accessibus, paululum quiescunt: ecce terribiles colubri, jam ex arboribus, jam ex aquis accurrentes, ad submersionis metum, asserunt etiam trepidantibus horrorem. In his angustiis invictus elucebat Patris ardor, cujus exemplo omnes animati, jam Melitensibus D. Pauli lapillis colubros fugabant; jam baculis arborumve ramis propellebant. Fames interim aliunde miseris premebat: quando unus è Christianis audacior, ad orizam quærendam transnatat, eamque ex ædiculæ submersæ ruinis ad socios desert, dum Pater aliique, natatu ramusculos ad eam coquendam colligunt. Crescens interea magis magisque terrebat inundatio. Tum Pater omnes animare ad fiduciam in Deum erigendam, & æternæ salutis quantum possent animarum contritione consulendum. Triduum tenuit miserabilis hic status, velut naufragorum, jam mortem præsentem expectantium, jam divinam misericordiam Implorantium. Quæ tandem ipsis ad fuit: aquis paulatim detumescentibus. Quo factum, ut tanto periculo liberi, ad ædiculæ



ædiculæ licet prostratæ rudera gratulabundi omnes subinde redirent. Eo tempore venerunt ab illius ditionis Principibus viris litterarum, quibus ad melius hospitium Pater invitabatur. Eos solitâ sua humanitate aliquando sibi devinxerat: traditoque Catechismo eos Christiano gregi pridem adjunxisset, nisi polygamia impedimento fuissent impliciti. Mos siquidem est inter hujus gentis Optimates, dum matrimonia ineunt, quinque assumi uxores: ut numerum pellicum tacitus præteream. Pater igitur gratiis humanissimè actis, ut intellexit sibi ab ipsis Ethnicis hospitium offerri, optimum factu judicavit fore, si ædiculam dirutam restauraret. Quod reipsâ tanto ardore suscepit, & prosecutus est: ut Natale Domini festum magna solemnitate & concursu celebraverit, inundatione licet ad decimum septimum Decembris exortâ.

§. 13.

*Miri successus.*

**I**Nter hæc impiger Operarius, etsi multis incommodis affectus, jam ob subitas transmigrationses, jam ab elementis adversis: animo tamen semper erectus, hoc unum maxime sentiebat, quod propter continuas Siva: infestationes, Christiani huc illuc palabundi sine Pastore vagarentur, nec certo loco subsistere daretur, ad Sacrum eis pabulum porrigendum. Verum ad roborandam Neophytorum fidem, inter tot adversa, miris eventibus adesse voluit propitium Numen. Sexdecim annorum adolescens, per semestre spatium Catechesi eruditus, ad Sacrum fontem accesserat. Parentes, qua minis, qua blanditiis, ut eum à proposito diverterent, omnem conatum adhibuerant: at frustra. Quando ecce morbo gravissimo corripitur: his lepram esse, aliis venenum, istis justum supplicium ob legem Deorum abjuratam affirmantibus. Nullum porro aliud tanto malo dari remedium, quam rejecta Frangiorum, (sic Christianos nuncupant) quibus adhæserat infami sectâ, statim ad avitam religionem redire. Verum infirmus animo in Deum erecto, & fiducia plenus, Xaverio in Patronum advocato, vovet, si convalesceret, se & Eucharisticam Communionem, & modicum ceræ ei oblaturum. Nec defuit patrocinium: nam cum noctu decubisset omnium judicio incurabilis, & mox certo moriturus; ad solis ortum en fortis & alacer expurgiscitur, confurgit, loquitur, viribus adeo integris, ut nullum profus alicujus morbi vestigium superesset. Confestim ad Templum, quod inde leucis octo distabat, accurrit votum persolurus. Pœnitentiæ & Eucharistia

ristiæ Sacramentis piè resectus, eleemosynam pro cerâ promissâ impertit. Majus etiam aliquid nunc referam.

In vico Marajam Christianus quispiam cognatum Ethnicum, qui ægrobat, admonuit de audiendo Catechismo Religionis Christianæ, in quâ vera salus erat posita. Paruit Ethnicus infirmus: & post aliquot dierum instructionem, Sacro lavacro mundatam animam Deo reddidit. Aderat tum inter alios Sacrificulus quidam ex pudendâ sectâ Lingar, defuncti confanguineus, qui repente stupefactus, in hos clamores erupit: Num videtis animam hujus baptizati luce insolitâ circumfusam, curru triumphante ferri in cœlum? Num videtis illius gloriam? Id vero cum asseveranter repeteret, Christiani qui aderant, magnas Deo dederunt laudes; Ethnici autem amplius triginta Christi fidem amplexi sunt.

§. 14.

*Fit Missionis totius Moderator.*

**I**AM vero, quoties aquæ cinerisque ab eo benedicti virtute, Dæmones repressi fugatique sunt, dum suam hi rabiem exercebant; quoties ab orizæ campis lamnifica animalia abscesserint: longum est enarrare, & forte lectori fastidiosum, ad nobilem Athletæ nostri luctam properanti. Sed ad hanc multis victoriis animus fuit præparandus; ad hoc palmare præmium multis laboribus demerenda fuit Dei gratia. Nec parvam laborum messem ei attulit totius Missionis Præfectura, quæ Moderatorum jussu tota in illum recubuit. Jam adductis ad Christum viginti & amplius Ethnicorum millibus, tredecim annos Missioni servierat, quando ad ejus regimen fuit assumptus. Postulabat hoc munus indefessum ad continuas excursiones operarium: & quamvis imbecillâ semper valetudine, se ipso fortior, non solum muneris pensum implevit; verum etiam, quod omnes in stuporem vertebat, pondus sustinuit, cui ferendo sex alii, ut passim fatentur, essent impares.

Duodecim numerat hæc Missio Residentias, quibus totidem cultores, quoad fieri potest, adscribuntur: qui numerus vix unquam impletur, licet viceni aut triceni hac vineâ florentissimâ non parum occuparentur. Nam unica Trigerapalis Residentia, (ex qua de aliis fiet ponderatio) plus triginta Christianorum numerat millia: quibus excolendis insudat P. Venantius Bouchet Pictaviensis. Ut igitur tot Ecclesiis, ut tantæ Christianorum multitudini, ut Ethnicis quotidie convertendis sufficiant Patres, Catechistas sibi adjungant. Hos moribus probatos, & longâ experientiâ, legem Christianam edoctos,

edoctos, sumptibus suis alunt, huc illuc ad Christum prædicandum mittunt, & illi sui muneris insigniter memores Ethnicis intrepidè divina mysteria annunciant, de gentilitiis erroribus redarguunt, Catechumenos agglomerant, Neophytos contra persecutiones quæ frequentissimæ sunt confirmant. Deo denique sic deserviunt, ut annuas Missionis litteras legenti mirum sit, quas generosi illi Catechistæ, in controversiis Fidei, in tormentis positi, victorias retulerint. Pater igitur Joannes, post Residentiam Cuttur multis annis excultam, & varias excursions ad varia regna susceptas: etiam dum privatim Missionarii munere fungebatur, statim intellexit, quam repetitos ardores, quam renovatos spiritus, totius Missionis Præfectura postularet. Et sanè ad novi muneris pondus, novas etiam vires divina bonitas videtur addidisse. Nam in perpetuo motu positus, veluti rota laborum viva, sæpius quæquæ patet Missionem totam perlustravit. Bis Meliaporem delatus est: ubi novos semper ab Indiarum Apostolo spiritus postulabat, referebatque. Et vero, si vel sola spectetur itinerum difficultas, Apostolicum sane zelum exigit. Nam per Diocesim tanto spatio dilatam discurrebat pedes: jam sole æstuans, jam pluviâ irriguus, jam per silvas sentibus obsitas, latronibus colubrisque infestas, jam per ardentis arenas. Ad hoc modicâ orizâ contentus, qua vires reparabat: & si quod adderet condimentum, herba erat, aut legumen, cum pipere forbitiunculâ.

## S. 15.

*Mira fluminis Coloram trajectio.*

**F**lumen Coloram, quod è montium jugis rapidè defluit, totamq; illam terram per multos alveos fecat, maximam dabat molestiam. Quamvis enim interdum ad trajectionem adesset Scapha: portitores nihilominus solent tot quæstionibus, tot turpiloquiis, vectores interpellare, ut Missionariis Religiosis melius videatur, omne aliud incommodum subire, quam ejusmodi trajectionibus uti. Ergo, vel natatu, vel ligneo fasciculo impositi, vel ollâ testacâ manibus prehensâ fluvium hunc transeunt. Atque ut de multis taceam, unum in hac materiâ casum referam scitu dignum. Pervenerat Joannes ad ripam latè exundantis fluvii, tempore pluvio & nocte jam imminente. Viculus in proximâ silvâ è mapalibus aderat, unde opem ad trajiciendum sperabat: verum spe omni exclusus, ad pedem arboris secessit, divinum Officium persoluturus. Quando ex alterâ fluminis parte vox clamantis insonat: An aliquis vellet trajicere? Advocatus, toto nisu adnata: & ad Patrem delatus,

humaniter sciscitatur, an vellet transfretare, operam suam utique esse promptissimam ut Pandaro deserviat. Factoque non minus quam verbo promptus, modicam Patris suppellectilem capiti imponens, vadum ostendit, quo omnes sub ejus ductu ad alteram fluminis ripam facile pervenerunt. Hic Pater cum focii positus, dum viro obsequioso aliquam parat remunerationem: omnium ille oculis repente subtrahitur. Dumque vicinum pagum ingressi, de eo multa diligenter percunctantur: nihil omnino scire potuerunt. Unde nihil aliud illis probabilius poterat occurrere, quam cælitus eis in hac necessitate fuisse allatum præsidium. Ut innotuit Patris adventus, magnus undique ad eum fit concursus. Unde quid quisque hujus Missionis Operarius in sua præstet Ecclesia, non illubenter intelliges.

§. 16.

*Pia Missionarii Madurensis exercitia.*

**P**Ræter quotidiana Charitatis officia, quæ Missionarii vicinioribus incolis exhibent, consuetis diebus tum Dominicis, tum aliis Festivis, parænesim ad auditores habent linguâ vernaculâ, quam quisque ex officio accuratè didicit. Tum toto Sacrificii tempore pii decantantur hymni, comitante musicorum instrumentorum modulatione: Catechistis vero, ad Sacramentorum debitam receptionem, Catechesim rite declamantibus. At vero majoribus Festis, accedente confluxu, tum Christianorum, tum Ethnicorum, interdum ad multa millia, nihil est quod non ad solemnitatem adhibeatur. Ingens est tunc Missionarii labor: maxima ad excipiendas Confessiones assiduitas. Noctes ferè integras huic pio officio coguntur impendere, vix relicto ad modicam quietem spatio: aliis quippe atque aliis accurrentibus, & animum expiare cupientibus. Elucet interim Catechistarum ardor, Sacra mysteria explanantium, & methodum ad earite accedendi tradentium. Cum vero Gentiles audeant Christianis insultare, eos ad nefandam Franguiorum sectam, aut ad Pareas transiisse: ideo quantus potest ordinatur apparatus. Noctu diuque personant tibiæ & tympana, fistris & fistulis modulantibus, & Sacra cantica ad hilarem gentis symphoniam depromuntur. Dum autem suam auribus, suum pariter oculis adest oblectamentum ab ignibus, pulvere nitrato artificiosè confectis: quorum alii gyrovagi, alii in altum subeunt, alii more fontium quaquaversum erumpunt. Ad hæc interdum per imagines vivas effectivæ præcipua Fidei nostræ mysteria piè repræsentantur. Qualiter Christus in cunis inter pastores humilis: inter Magorum adorationes gloriosus:

88  
 sus: inter tormenta patientissimus. Mirificè hoc spectaculum animos movet, non Neophytorum modo, sed & Gentilium: qui ad hæc attoniti, eam verè Religionem solidissimam & verissimam judicant, quæ in interno externoque apparatu Dei sui gloriam omnimodè ostentat. Unde post auditam Catechesim plurimi Christo adjunguntur. Divinum interim Sacrificium intervenientibus tot pietatis exercitiis ultra meridiem protrahitur: quo peracto succedunt Catechumenorum baptismata, instructiones Sacræ, preces, quibus tum aquæ, tum cineri, divina virtus impertitur. Huic quippe genti commune est & antiquissimum, frontem præsertim, cinere illinire. Jam infirmi, qui nunquam desunt, specialem semper à suo Pastore preces postulant: quibus ut plurimum, tum animæ tum corpori curando, aut remedium, aut consilium salutare adhibetur. Atque hujusmodi exercitiis, occupatus Missionarius, dum animæ maximum sentit solatium ob animarum lucra, virium sæpe non parvum sentit detrimentum, corpore supra modum fatigato. At nullibi melior fit vitæ usura, quam ubi tota in divinum obsequium impensè effunditur.

## §. 17.

*Ad Maravas convertendos Pater totus aspirat.*

**I**oannes igitur post superatum divinitus flumen, Festo inter Christianorum applausus celebrato, cum omnium Ecclesiarum urgeret sollicitudo, nulli certo loco poterat immorari. Verum præ ceteris ditionibus & populis singulari quodam affectu ad Maravicam gentem ferebatur: utpote quam ille primus ad Evangelii lucem attraxerat. Territorium illud, quod Marava dicitur, silvis & saltibus ut plurimum occupatur: & nuper ad illam Reginam pertinebat, quæ suum dominium ad Trigerapolis civitatem, & adjacentia loca extendit. Cum vero in India, præcipuè apud Comorinum perpetua fere sit dominantium revolutio, ipsaque ambitio & potestas undequaque acquisita, jus legitimum videatur ad regna legitimè invadenda: contigit etiam, ut qui Maravicæ ditioni tamquam Præfectus auctoritate illius Regiæ præerat, sibi illud dominium per vim & nefas usurparet. A Rege Tanjaor interdum armis oppugnatus, ut Dominiæ suæ pareret, silvis suis occultatus restitit, & modo se Regulum vendit. Interim dum isti Principes, quos interdum Rajas, aut Naiques, aut Duces appellant, inter se præliantur pro terræ palmo occupando: Missionarii illac discurrentes, ad cæleste regnum possidendum totam illam gentem indefessa charitate invitant. Et Patri Joanni visum erat non frustra se laboraturum, si Maravas è silyarum suarum latibulis & obscuris

tenebris ad caeleste lumen evocaret: quod & maximo successu factum est. Ab ipso primum, utpote qui Maravicas silvas variis in locis refecari curavit, & vicis Christianis implevit: & dein per socios opus inchoatum fovere non destitit. A Patre Gaspare Alphonso, tum Provinciali, nunc Episcopo Meliaporensi, vocatus ad Collegium Topo, duos secum insignes operarios adduxerat: Patrem videlicet Hieronymum Telles, & P. Ludovicum de Mello, sanguine illustrem, zelo etiam illustriorem. Solverant è Tutucurim in navicula: paucis diebus, ut putabant, ad portum appulsuri. Verum quater viam ingressi, & toties regressi, non nisi post quadraginta quinque dierum navigationem sanè incommodam, ad littoris quæsitam stationem pervenerunt. Patri Ludovico obtigit Missio ad Maravas, quam toto animo complexus, brevi temporis spatio, gentem illam tanto ardore ad Christum allexit, ut Reguli odium in se concitarit. Itaque ad eum comprehendendum magno numero mittuntur satellites. Quibus cum sese ultro & intrepide obtulisset: En præsto sum inquit. Cur contra unum inermem tanta multitudo, tantus armorum apparatus? En me tenetis. Coniectus igitur in ferreos compedes, & cippo ligneo, cui tibix includuntur prehensus, publice sub dio ad omne ludibrium, & aëris inclementiam exponitur. Inde contracto morbo, & carceris miseras passus, in eam incidit infirmitatem, quæ vires illi & vitam abstulit ætate adhuc juvenili, at meritis maturâ. Ut de eo dici possit, in brevi consummatum multa tempora explevisse.

Cum ergo Regulus Marava in Evangelii Præcones furor em palam ostendisset: Pater Joannes Ludovici fortem piè æmulatus, ardentè cupiebat sibi offerri occasionem, qua suum erga Deum amorem patefaceret. Martyrii desiderio æstuans, dicitabat: Maravis se fidem daturum, aut sanguinem. At vero, cum recens adhuc fureret Tyranni rabies, ne in Christianorum ruinam furiosior excandesceret, desideriiis hîsce, licet Sanctis, visum est moderationis aliquid adhibendum: dum procellæ vis aliquantum remitteret.

S. 18.

*Ethnici Patrem argumento impetunt. Ubi aliquid de Religionis Indicæ Sectis.*

Solitatis interim excursionibus intentus, Provinciam illam peragrabat, quæ Regnum Tanjaor à Maravis dividit. Quando ex Ethnicis Magistelli, quos Grus aut Andis vocant, suâ admodum scientiâ inflati & elato supercilio Patrem aggrediuntur: materiam argumenti proponunt

nunt illam, quæ apud eos habetur celeberrima. Nempe scripturam capit-  
tis, illam utique scripturam quam à Deo Bruma cujusque capiti dicunt  
esse impressam: ita ut nihil concipiatur, aut dicatur, aut fiat, quin prius ab  
illo Numine dictatum sit, & cujusque cerebro inscriptum. Id porro tantâ  
firmitate & efficacîâ, ut neque ipse Bruma, neque alii trecenti & tricies mille  
milliones Deorum, quos fingunt, hujus scripturæ effectum ullatenus possint  
impedire. Hic porrò per transfennam scire expedit, à Brachmanibus, reli-  
gionis Indicæ Ministris, statui Numen aliquod supremum, iis attributis illus-  
tratum, ex quibus intelligas, Indos veri Dei notitiam, aut à D. Thoma,  
aut antiquius ab Hebræis hausisse. Verum ubi veræ divinitatis vestigia attu-  
lerunt, ad figmenta delabuntur adeo absona, adeo turpia & execranda: ut  
absurdâ implicatione destruant, quod statuerunt. Nam præterquam quod  
numina sine fine confingunt, ea de illis prædicant crimina, ut non Deos,  
sed monstra impietatis teterrima agnoscas. Unde hanc sordium sentinam  
revolvere mihi horret animus: hoc satis sit, quod subiicio. Præter illud sum-  
mum numen, quod veluti quadam caligine abyssi involvunt, tres corporeos  
Deos ostentant. Bruma videlicet, Visnou, & Xiven. Primo, velut aliorum  
parenti, creationem mundi attribuunt: Secundo, conservationem: Tertio,  
destructionem. Cum autem hæ tres Divinitates apud Indos maxime extol-  
lantur: mirum, totam eorum Religionem primario in duas tantum sectas  
dividi. Nempe in eam, quæ Visnou adhæret; & alteram, quæ Xiven  
ordicus sequitur. Eâ utriusque contrarietate, ut Visnou sequaces, Xiven Deum  
esse firmiter negent: Xivenitæ vero Visnou divinitatem explodant. Sub  
his autem duabus sectis innumeræ aliæ pullulant. At vero secta Lingan, quæ  
sub Xivenitis maxime floret, impudentiam pudendis objectis ad horrorem  
usque demonstrat.

Adsunt igitur litterati Sophistæ, & Patrem fortiter impetunt. Quid tu,  
ajunt, nova dogmata audes prædicare, cum nihil aliud futurum sit quam quod  
Bruma singulorum capiti impressit? Putas novis figmentis posse te nobis illu-  
dere? Quæsit Pater, quo tandem fundamento niteretur hujus effati soliditas?  
At illi: enimvero advenam te patefacis, qui nescias hanc esse litteratorum om-  
nium sententiam: hoc primum Brachmanicæ doctrinæ axioma: Principiorum  
autem non esse petendam rationem. Tum Pater ad illos. Possentne forsân  
Deus vester Bruma mentiri. Illis fortiter negantibus: Duæ, inquit Pater,  
inter vos nominantur sectæ famosissimæ, at planè adversantes, nempe Vis-  
nou & Xiven. Bruma, ut dicitis, falsum promere non potest. Quomodo  
igitur hominum capitibus contradictoria inscribit: ita ut hi affirmant, quod  
illi negant? Fatemini igitur, vel talem non dari scripturam; vel vestrum Bru-  
ma,

na, cum falsa scribat, magnum esse impostorem. Sed rogo vos, dum dico Bruma magnum esse impostorem, hæccine propositio ab ipso Bruma capiti meo inscripta est, an non? Si admittitis, ergo ipse Bruma inscribit se mendacii auctorem. Si negatis, ergo hæc propositio à meo pendet arbitrio, uti ceteræ omnes. Apage igitur cum vestro Fato, aut effato, & scripturâ fataliter capitibus impressâ.

Ad hæc gentilis subtilitas cum nihil haberet, quod ex rationis dictamine opponeret, ad convitia, ad sannas, ad scommata confugit: quæ Pater in victoriæ præmium lubens admisit. Hæc porro disceptatio, etsi parum Gentilibus profuerit: multum tamen ex eorum confusione solatii Christianis attulit, qui ex Præfecto Provinciæ Paleam gravem persecutionem sustinebant. Quippe furor ejus eo devenerat, ut Christianos, tamquam infames, ab aliorum consuetudine segregaret, & ad Pareas, probrosè amandaret, tamquam à sua secta degeneres. Quod ignominie genus est horrendum: nam in eum statum dejecti, nec fabrum lignarium habent, qui aratrum reparet; nec agricolæ operam, qui campum præparet; nec ferrarium, qui clavos cudat. Crimen igitur est non leve inter Indos, sive tibi assumpseris, quod sectam tuam supereminet: sive ab ea te degenerem abjectione ostenderit; uti casus sequentes probabunt.

### §. 19.

#### *Sectarum Indicarum æmulatio.*

**I**N Massulipatam aurifex ad celebrandas nuptias voluit, quod supra ejus spheram erat, cum conjuge, per plateas illius Emporii ad fastum ostendendum in Palanquin deferri. Feretri genus est, velut thalamus portatilis, ad iter agendum & simul quiescendum commodissimi. Hoc culcitra aut peristromate cum pulvillo solet insterni: & patet quaquaversum, nisi quod superne tegitur ad solem arcendum. Hoc vero umbraculum ex panno constat, seu gossipino, seu serico, colore & ornatu ad cujusvis libitum: sæpe fimbriis aureis, limbis, & variis phaleris ad pompam circum micantibus. Porro hic pensilis thalamus, vecte totus suspenditur, qui antrorsum & retrorsum proximis bajulorum humeris ex utraque parte incumbit. Hi vero bini aut quaterni totam machinam cursu ferè perpetuo, quo volueris deferunt: estque gravis & suavissimus itineris faciendi modus. Et procul dubio aurifex ad nuptiarum pompam feretrum suum egregiè ornaverat. Quod indignè ferentes aliæ sectæ, primo in querimonias & clamores eruperunt, tum litem ei movere,



ac tandem ad arma ventum est. Ad viginta millia concurrerunt, viadictam de aurificum præsumptione sumpturi. Verum ut sanguini parceretur, hoc grave litigium tandem poenâ aurifici inflictâ compositum est. Damnati sunt duo conjuges ad verrendum totum illud spatium, quod in feretro sibi indebito percurrerant. Atque ita pax sectis reddita. Verum nobilior fuit in alio casu compositio.

Primarius aliquis è suâ nobilitatis gradu ob crimen deciderat. Mirisangebatur doloribus pro gradu perduto: quem quocumque modo & pretio cupiebat recuperare. Brachmanibus, utpote rituum Magistris & Judicibus hoc negotium proponitur. Illi, re pro gravitate in tribunali examinâtâ, pronunciant, ad tanti criminis expiationem, ad sectæ honorem restituendum, opus esse vaccâ argenteâ, cujus ventrem reus ingrediatur, aliquamdiu ibidem immoratus expietur, & sic in pristinum statum restituatur. Dictum, factum: reo mirificè placuit sententia; & Brachmanibus multo amplius, quibus utiq; in lucrum cessit tota illa argentea vacca. Digna omnino tantis judicibus sententia; longè tamen pretiosior futura, si vaccam totam ex auro, vel saltem cornua & caudam auream decrevissent.

## §. 20

*Pastoris pro suo grege sollicitudo,*

**I**Taque, ut ad Patrem redeamus, dum Ethnici Religionem Christianam, seu infamem & sordidam, conantur destruere, utpote à Frangulis vilissimis deductam: contra Christiani, qui hominum soli Deum Patrem suum jure nominant, Religionis suæ gloriam merito super omnia extollunt, nec quidquam de ea indignum dici patiuntur. Illi igitur qui prætextu Religionis Christianæ, tanquam turpissimi criminis rei, ab illo Ethnico amandabantur: hortatu Patris discessum è Provincia parabant; generis & Religionis dignitati sic melius consulturi. Quando eorum famam vindicantè Deo, Præfectus ille, calumniæ author, è vivis tollitur, paulo post duabus ejus uxoribus concrematis.

Alibi vero, cum Pater Christianos Ethnicis permixtos hortaretur, ob graves rationes, ad alio transmigrandum; illique obsurdescerent: ecce ignis subitus Christiana tuguria absumpsit, gentilicis quæ interjacebant intactis. Unde Pater quasi prophético afflatus spiritu, serio illis comminatus est, ni discederent, fulmen intra annum adfuturum è cælo: quod ex illis unus, dum

antius tergiverfatur; magno fuo damno expertus eft, Patris comminatione cælitus completâ. Atqui minas raro intentabat, totus in continuos charitatis affectus erga Neophytos effluens, in confolandis fuaviffimus, in protegendis fortiffimus, in quærendis ad falutem omnino indefeffus: in laboribus perpetuis, id ipfum fanguine etiam ante mortem attestante. Sæpe ad necem conquisitus, per varia regna cogebatur difcurrere: jam ex Tanjaor in Ginja; jam ex hoc in Madure & Golconda factâ transfmigratione. Cumque illuc tranfeunti confueta itinera, ob latrocinantium excurfiones, non paterent: filvis fe immerfit, & ad pedem rupis, cui impendentia fuperius arbufta umbram aliquam dabant, adjunctis tumultuariè ramis & ftipitibus, fylveftris Oratorii fabricam raptim conftruxit. Ubi occurrentibus Christianis per multos dies Sacrum pabulum, tum verbi divini, tum cæleftium Myfteriorum adminiftratione impertivit. Donec tandem, & armatæ infidiæ, & deficientia alimenta, alio migrare coegerunt, fluviis in hac expeditione quinies trajectis. Nolo pluribus Patris peregrinationibus, licet fcitu digniffimis, immorari: ut euntem ad Maravas, vel potius toto animo currentem, profequar, & uno velut obtutu tota ad vivum viri Apoftolici charitas elucefcant.

## §. 21.

*Ad Maravas proficifcitur.*

**A**Rdebat crudeliffimo in Christianos odio Maravicus Regulus: atque interim fubmiffis ad eorum folatium Catechiftis, dum furor aliquantum remitteret, Paftorum absentia fupplebatur. At Pater Joannes, fpreto omni vitæ difcrimine, & altiori animatus fpiritu, illuc fe conferre decrevit: periculofam hanc expeditionem ratus fibi potius, ut Miffionis Superiori, affumendam, quam fubdito committendam. Ad ejus adventum tanta confluit Neophytorum multitudo, ut piis minifteriis infumerentur noctes & dies, vix relicto ad modicam quietem intervallo. Labori refpondit fructus: nam præter refectos Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentis quam plurimos, bis mille & feptingenti ad cæleſte lavacrum accefferunt: inter hæc pietatis officia Patre per duos menses inceffantur occupato. Hanc vero meffem dum lætus colligit: ecce ingens à Tyranno Marava perſecutio.

*Maravica persecutio: constantia Neophytorum in tormentis.*

**D**ecimâ septimâ Julii vicos percurrerat: quando ab illius Provinciæ Præfecto, qui suo aderat stipatus exercitu, Pater cum sex Christianis comprehenditur. Ut Præfectus Patrem habuit in conspectu, multas in eum injurias evomuit: jam veneficum, jam Necromanticum appellans. Ergo tu ille es, plebis dementator? Dic malefice, quæ lex illa, cujus te Magistrum insolenter prædicas? Quam doceo, reponit Pater, lex est Dei veri, summi, omnipotentis: non vero inane quoddam figmentum, aut sortilegum commentum, ut mihi imponitis. Dato hoc responso, Præfectus coniectis in Catechistam oculis, dictum Yven, quæsit, quis ille esset? Ille, inquit Ethnici nostris Diis omnino adversantia tradit dogmata: totam ille hanc Provinciam pervertit. Unde iratus Præfectus, statim hunc, aliosq; Christianos, jubet torqueri. Extemplo manibus à tergo revinctis cæduntur virgis, & catenis ferreis. Hoc tormento Catechista, & Christianus, nomine Valenti, crudeliter fuerunt laniati. Et hic quidem tot ictus accepit, ut occiderit ferè examinatus. At subinde collectis sensibus, ut paululum respiravit animosior factus, ad carnificem accessit: cui hic, quanta vi potuit, pugnum in vacho impexit. Quò cum soleat fortissimus quisque graviter affligi: nihilominus noster Valenti illæsum omnino alacriter se ostendit. Ubi vero hi Athletæ cruciabantur, fiebat omnibus optio libertatis, si vellent nomen Xiven, hoc est, falsæ Deitatis pronunciare: quod fortiter respuerunt, vitam se pro Christo millies daturos, non hilariter minus quam constanter dictitantes.

*Pater à Tyranno vexatur.*

**I**D vero cum videret Tyrannus, ad tantam omnium constantiam stupefactus, Catechistam separatim alloquitur: & qua promissis, qua minis eum ad Religionem deferendam adhortatur. At ubi invictum frustra oppugnari advertit: Patrem ad se vocat, jubetque ignominiosè denudari. Tum ei cinerem gentilicum offerri imperat, quo frontem illineret: utique in vani numinis reverentiam. Id porro detestante Patre in iram accensus exclamat, se corpus membratim discerpturum, sale postea aspergendum. Quo audito,

, altu supra modum sereno : Ah ! quando tandem , inquit , hæc fors mihi eveniet ! Ad hoc responsum indignatus Præfecti cognatus , alapam ei inflixit. Quâ hilariter acceptâ , alteram ei malam , Salvatoris secutus consilium , lubens obtulit. At Tyrannus hoc patientiæ exemplo nihil mitigatus , quin imo efferatior , Patrem in carcerem trudi jubet. Lætus hoc nuncio , pergebat ad carcerem : quando à comitante milite altera alapa infligitur , quæ eodem , quo prima , exultantis animi sensu à Patre recipitur. Custodiæ incluso , ad majorem securitatem , duplices ex ferro injiciuntur compedes , ne forte aliquo Magiæ artificio elaberetur. At neque sic de vinclo satis securi , quem insignem præstigiatores credebant , cum ad duos stipites manibus alligarunt : captos etiam sex alios Christianos , inhumaniter ligneo cippo interceptos , solis æstui , ut gentem vilissimam , torrendos exposuerunt.

## §. 24.

*Aquæ tormentum.*

**A**ltero autem die hi omnes ad stagnum deducuntur , aquaticum tormentum experturi. Hæc porro durissima est torquendi methodus. Nam corpora aquis immersa , pede etiam calcant , ut respirandi spatium auferatur. Huic igitur catinendo , cum unum ex Christianis animus defecisset , simul etiam sic defecit : qua abjectâ libertatem est assecutus. Hinc tortores , spe ejusdem defectionis extorquendæ alios atrocius cruciarunt. Verum Christi Athletæ magis de illius qui defecerat infelicitate , quam de tormento suo solliciti , exinimum constantiæ suæ specimen torquentibus fortiores exhibuerunt. Hic porro mirum quid accidit , & prodigio simillimum. Cum enim aquis immersum se videret Catechista , timeretque ne suffocato spiritu prorsus examinaretur : cæleste numen medullitus invocat , & statim prodeunte ex imo stagni lumine , adeo se sentit recreatum , ut hoc aquæ tormentum , & alia quæcumque deinceps , ei levissima viderentur.

## §. 25.

*Catechistæ fortitudo.*

**P**ostridie Præfectus inde cum exercitu digressus Patrem & socios velut in triumphum abduxit. Porro inter eundem intumescens Patri pedibus , cum non daretur progrediendi facultas , Ethnicum quendam movit pietas

pietas (uti interdum bonus auquis malis admiscetur,) ut equum ei commo-  
daret : quo vectus, ad viæ terminum pervenit. At toto itinere mirum in  
modum à militibus captivorum fides, & præsertim Catechistæ fuit exag-  
tata. Et hic fortiter respondit : si delirarem, tunc quod vultis facerem. At  
Deo dante, etiamsi millies moriendum sit, non faciam. Per intensos soli  
calores iter agebatur; ac tandem magno labore ad Idoli quoddam fanum per-  
ventum est. Tum Præfectus accitum ad se Valenti, sic alloquitur. Quid nî  
infamem hanc Frangui religionem deponis? Age, Deos avitos sequere :  
venerare gentis nostræ gloriosa numina : ego te divitiis, ego te honoribus  
cumulabo. Ad quæ generosè Valenti: Tibi sint opes, tibi honores Præfecte.  
Ego in hoc maximum decus, maximas divitias pono, ut pro Religione,  
quam profiteor, mortem oppetam. Pro illâ lubens ad ultimam sanguinis  
guttam, ad ultimum spiritum, vitam dabo: ut isti Domino meo commoriar,  
qui totum sanguinem pro mea salute dedit. Ad hoc responsum excandes-  
cens Præfectus, jubet eum crudeliter torqueri, perque spinas & petras rap-  
tatum in carcerem & compedes cum Patre aliisque sociis conjici.

## §. 26.

*Pater Neophytos territos è carcere animat.*

PER duodecim dies multa hic passi sunt : tum ob alimentorum paucita-  
tem, tum ob Custodum, aliorumque à quibus per ludibrium invisebas-  
tur, atroces injurias. At quod maxime bonum Pastorem cruciabat, terror  
erat Christiani gregis : qui Patre in vincula coniecto consternatus, fugam  
huc illuc parabat. Verum è vinculis omnes animari jussit, ne à Tyranno  
quidquam timerent, Deum ipsis, ut optimum Patrem, proculdubio fore  
propitium : firmi starent in fide, & si forte foret moriendum, non defutura  
immortalitatis coronas. Multum valuit ad confirmandos animos Pastoris  
exhortatio. Veniebant ad carcerem, deferebantque sustentationi necessaria :  
at custodes sibi omnia reservabant.

## §. 27.

*Tormentorum spectaculum offert Tyrannus.*

EXACTIS duodecim diebus, jubet Tyrannus apparari ferrea iustrumenta,  
quibus candentibus atrectata corpora frustatum discernerentur : atque

nam ignitis, & in conspectu positis, cruentam mortem Christi athleticè comminatur, ni Religionem statim abjurent. At illi eo animosiores, quo exhibilius erat spectaculum, minas irrident, & mortem petunt: Fidem suam frustra tentari asserentes. Quin imo tanta erat omnium ad tormenta animotitas, ut quis prior accederet, sanctâ æmulatione contenderent. Quod omnibus, qui aderant, admirantibus: in alteram diem Tyrannus supplicium distulit. Responsum nempe à Regulo Maravæ expectabat, ad quem de Patris sociorumque comprehensione nuncium miserat.

## §. 28.

*Pater iterum colaphis ceditur, raptatur per petras, & socii torquentur.*

**A**ltero igitur die, quo lati carnificinam sperabant, compedibus eximuntur: & manicis constricti, ad vicum Paganari sole ardentissimo deducuntur. Hic Reguli nomine ipsis denunciatur, venisse decretum, quo morti tradantur. Attamen, si vitam vellent integram, Deo Xiven invocato, vita etiam donandos. Caverent porro, ne remedium tam salutare, adeo facile respuerant: alioquin regiam experturos indignationem. Ad hoc unanime omnium fuit responsum: Ad omnes cruciatus paratissimi sumus: cur tanta ad nos torquendos mora? Tum Pater accedenti satelliti, ad cinerem frontis imponendum, fortiter resistens: colaphum valide impactum accipit. Nec socii carebant vexationibus: alii capillis contortis, alii prehensâ barbâ, variè ad ludibrium cruciati. Catechistam præterea, manibus ad humeros revinctis, mediâ die supra cumulum petris asperrimum collocant, calcantque toto corpore, eâ feritate, ut ne oculis quidem parcerent: quorum unus adeo fuit contusus, ut de eo actum omnino judicaretur. Nec supradictus Valenti caruit patiendi materiâ: nam iterum aquæ tormento expositus, magnum fortitudinis dedit testimonium. Tum ambos ad Patrem adducunt, & Catechistam manu indicans carnifex, ait: En hic oculum perdidit, tu perditum restitue. Ita ironicè insultabat impius. Ad quem Pater, felix enimvero ille exoculatus, cujus sortem hæcenus nancisci non possum. Quo audito mulier quædam tortorem alloquitur: Quid tu in torquendo discipulo fatigaris? in Magistrum, à quo omnes pervertuntur, vires exere. Ad hoc accensus Brachmanus Patrem virgâ Bengalenfi ferociter percutit, & calcibus elisum, nudatumque, jubet ad montem lapidum, aculeis sane asperum, deferri: manibusque post tergum revinctis, per acuta petrarum atrociter volutari.

Quod

Quod tormentum, & grave vulnus Patri infixit, & e remore carnis fructu avulfit. Hanc Patri sortem miseratus quidam Ethnicus, eum à saxea illi asperitate, & solis ardoribus, ad meliorem locum, umbramque, obstitit: nequaquam tortore, humaniter transfudit: unde per exortam pluviam, cum focis, iterum ad carcerem & compedes Pater protruditur: ubi ad eos conversus, quanto potuit animi affectu, quanto verborum pondere hæc profatus est.

## §. 29.

*Patris ad socios adhortatio, & mira curatio.*

**E**JA, inquit, charissimi Commilitones, pro Christo fortiter patiamur. Aderit constantibus, qui cælestem perseverantibus parat coronam. Brevi supplicio præmium, & gaudium datur sempiternum.

Hic vero casus accidit instar prodigii reputandus. Fiduciâ plenus Catechista, oculum contusum, & jam omnino, ut judicabat, inutilem, Pater obtulit. Cui Pater omnes ad divinum Numen, Divæque Lucæ patrocini-um implorandum adhortatus, Crucis signum spe vivâ impressit humiliter. Et ecce, res mira: tertio die oculus illæsus apparuit. Quod ut videre Dæmonis ministri, quod Deo debebatur, præstigiis & incantationibus tenuerunt. Atque adeo homines, ejusmodi artis peritos, non amplius esse tolerandos, sed morte quam primum plectendos. Quare Præfectus inorti eos turpissime adjudicat: nempe per umbilicum stipiti infingendos. Quod supplicium solæ rei, maximè viles, maximè facinorosi, experiuntur.

## §. 30.

*Morti adjudicantur, sed suspenditur sententia.*

**A**D hanc sententiam Christi pugiles exhilarati, sibi invicem gratulabantur: & palmam quisque alteri præripere gestiens, currebat ad locum tormento destinatum. Quod sanè spectaculum in stuporem agebat, non modo omnes adstantes quadantenus amicos, verum etiam inimicissimos. Cogebat enim fateri, eos solos vitâ dignos esse, qui pro suâ fide asserenda mortem usque adeo spernerent: atque ideo vitâ esse & libertate donandos. Hinc Tyrannus, suspensâ sententiâ, & fortasse ob alterum nuncium à Regulo acceptum, invictos Athletas Ramamdaburam, Regiam Maravicæ ditionis sedem deduci jussit.

*Ad Regulam Maravam Pater deducitur.*

**H**Aud parum toto itinere passus est P. Joannes: tum quod pedibus etiam-num læsis cogereur incedere; tum quod manicis constrictus esset, & præterea febris æstualet. Ad Metropolim appulsus, dum differtur sententia, in custodiam & ferrea vincula cum sociis conjicitur: unde post novem dies in Reguli conspectum adducitur. Ratusque sibi ultimam horam imminere, dilectis filiis supremum vale dicit, & tenerrimos inter amplexus, spondet si optatâ Martyrii sorte donaretur, se coram Deo fore patrônorum, ut ipsis quoque eadem fors feliciter obtingeret. starent interim fide semper invictâ, & animo in Deum erecto.

*A Regulo Pater honoratur.*

**V**ERUM aliter omnino evenit. Nam Regulus non tantum morte Patris abstinuit: verum etiam honore eum cumulavit. Quippe, ut vidit, abscessit, sibi que jussit assidere: magnâ sanè divinæ legis exaltatione. Tum ex Patre quæsit: Tune ille es, qui legem doces, Christianam? Reposuit: Ego ipse sum, qui Deum verum prædico: Deum utique omnipotentem, cui soli debetur honor & gloria, non verò Diis inanibus & fictitiis. Ad hoc responsum stupefactus Regulus, vultu sereno ait: sic enim vero, sic animosè & fortiter loquendum est: hoc modo habere se debent viri generosi. Quæsit præterea, quid lex illa doceret.

*Legem Dei explicat: variis Reguli quæsitis respondet*

**T**UM Pater decem Dei præcepta protulit. Annuens ad hæc Regulus, & quod dicebatur gratum sibi esse significans, iterum iterumque legis explanationem repeti voluit. Quâ auditâ, circumstantes intuitus: Hoc ait, hoc verè vocari potest lex omnibus numeris absoluta. Ut igitur advertit Pater, quam attentè Regulus præceptis divinis aurem præberet, perrexit ad ostendendam supremi numinis excellentiam, facto ab ejus attributis exordio.



dio. Verum loquentem interruptit Regulus, sciscitans, an esset Frangus, Hollandusve: eo quod vultus color eum suspectum redderet. Cui respondit Pater, se ordinis esse litteratorum, gravis utique & minimè abjecti: qui nihil infame, nihil vile saperet. Continuato ad ulteriora sermone, inquit Regulus, an Christiani maris aecolæ, eandem cum sua legem profiterentur. Cui Pater: legem hanc orbis universus audivit, & recepit: cum omnibus sit communis, nulli nationi est singularis. Quippe, quæ Deum omnium Conditorum, omnibus annunciat adorandum. Tunc Regulus ad Patrem conversus: Tu verax es Magister, tu vere Religiosus.

## S. 34.

*Adversariorum invidia.*

**H**IS auditis, fremebant Adversarii. Patrem arguebant, quod nomen Dei Niven nollet proferre. Proferat, nec ne, ait Regulus, vestrâ quid interest? Ipsum etiam filium suum de Patre querulum graviter reprehendit. Imo Brachmanibus sua deliramenta proponentibus, exprobrans ait: An ut ille deliriis se immisceat? Quid veritati, cum vestris figmentis? Verum, ô humani cordis duritia! Dei legem cognitam, & quia veram sæpius laudatam, non modo non amplexus est, sed sub gravissimis etiam pænis pronavit Patri, ne legem suam prædicaret. Possè illum in ditione illâ subsistere, si à prædicando abstinere: si secus fecerit, iussurum se, ut frustatim concidatur. Ita Patrem dimisit, non sine humanitatis signo. Voluitque postredie redire, debitum honorem accepturus: ceteros vero concaptivos libertate donavit.

## S. 35.

*Pater à Provinciali advocatur, & Romam destinatur.*

**A**T Præfectus ad alios quinque dies Patrem sociosque in carcere asservavit: unde sine ejus facultate non dabatur ad Regulum aditus. Hic vero, ut erat vino deditus, etiam Patris advocandi oblitus est. Tandem post dies quindecim evocatus, ob quosdam obices nihil effecit, nec illum potuit alloqui. Protrahitur ergo ad trimestre tempus custodia. Tum Pater egressus, & libertate cum Sociis donatus, Reguli adeundi commodam captabat occasionem: si forte altero colloquio eum demulcendi daretur modus. Deo interdum durissima corda, cum ipsi placuerit, emolliente: ut tandem Evangelii,

prædicandi daretur facultas. Verum P. Emmanuel Rodriguez Provinciæ Cocinensis Moderator, ut audivit Patrem Joannem libertati restitutum, cum ad Collegium Toppo advocavit, vires ibi paterna charitate reparatum. Atque ibi per aliquot hebdomadas amicissimè recreatus, ad Missionem & solitos labores redibat. Quando repente ab eodem Superiore revocatur ex itinere. Quippe interea nuncium acceperat Provincialis, de Patris Francisci Pays naufragio: qui Romam tamquam Procurator missus, navi ad vadum allisâ, haud procul à Bonæ spei promontorio, in itinere terrestri obierat. Nam ut erat jam ætate gravis, dum per illos asperrimos montes progredi contendit, supra vires fatigatus, fame etiam & siti confectus, omnino defecit. Cumque jam nemo promptior adesset, qui ejus vices suppleret, in ejus locum substitutus P. Joannes de Britto, Goam mox proficiscitur. Inde anno hujus sæculi octogesimo septimo ineunte, Brasiliam primo tenuit, deinde Vlyssipponem sub anni finem feliciter pervenit.

## PARS TERTIA.

QUE PATREM JOANNEM DE BRITTO Lusitania in Indias denuo navigantem, & Maravas revisentem, ad ultimum usque agonem comitatur.

S. 36.

### *Adventus Vlyssipponem.*

**E** Navi egressus, Ulyssipponense adit Collegium. Ubi famâ ejus adventum pervulgante, factus est confestim magnus Optimatum concursus, de felici appulsu, post tanta terræ marisque pericula gratulantium. Variæ hæc prodibant quæstiones: ut ex peregrinis varia solent curiosè inquire, præsertim si ex novo orbe advenerint, ubi omnia sapere novitatem videntur Europæis. Cumque omnibus vellet facere satis, nec posset brevi tempore tot quæstionibus, tot gratulationibus ex integro respondere, (quotidianæ enim recurrebant salutationes, & loquendi discendique pruritus augebatur:) ubi innotuit Epistola, quam ex Maravico carcere ad Provinciam miserat, cum de suo statu certiozem reddens, tum enimvero mirum in modum cre-

vit Patris æstimatio, licet ex scripto patientis laboratissimè extubetur. Sic enim scribebat Patri Emmanueli Rodrigues.

S. 37.

*Patris Epistola è carcere Maravico scripta.*

**R** Everende in Christo Pater.  
Pax Christi.

Die D. Alexio sacrâ, dum ab expeditione Maravicâ revertēbar, cecidi in manus Provinciae Præfecti Cumara Ruley: qui nos statim, & modicam supellectilem interceptit. Urgebat fortiter, ut proferremus has voces, Niva, Niva. Voces utique, quibus Ethnici Idolum invocant. Imo spondit, si obtemperarem, fore ut libertas nobis statim daretur, ablata restituerentur, humanitatem ejus experiremur, prædicandi Evangelii nobis fieret facultas, mihiq; speciatiim equum daret, ad eundem quo liberet. Respondi, unâque mecum sex Christiani indigenæ, nobis fixum esse, ejusmodi voces omnino nunquam proferre. Mox plures mihi inpegit colaphos, manus pedesque in vincula ferrea conjecit, meque cippo alligatum tota nocte, dieque insequenti, ad duas post meridiem horas tenuit. Socii verò, ac præsertim bini Catechistæ, adeo crudeliter verbera acceperunt, ut iis, tum ab humeris, tum à pectore, pellis fuerit avulsa. Deinde mecum omnes ad cippum colligati, postridie aquæ tormentum, & insuper plurima flagell-experti sunt. At unus ex illis animo & fide defecit: totusque ad placitum gentilem factus, libertatem non sive honoris specie obtinuit. Nos vero Præfectus in alium locum toto itinere divexatos transtulit. Atque hic gravissima perpeffus tormenta Yven Catechista, gloriosi Martyrii specimen exhibuit. Tum vero ad dilaniationem damnati sumus: statimque ignis, & forcipes, & cetera ad hanc carnificinam instrumenta prodierunt. Verum suspensa fuit sententiæ executio. In compedes iterum & angustum carcerem detrudimur ad hujus mensis vigesimam octavam. Hinc ad vicium alium pervenimus: ubi manibus pedibusque ligati tenemur, siti & fame admodum cruciati. Statim ad nostrum adventum pronunciata est mortis sententia, nisi Niva Niva invocarem. Unanimiter vero fortiterque id detestantibus, & calces, & pugni, & flagra, sævam nobis verberum procellam accumularunt. Præfectus interim sententiæ confirmationem à Regulo petit: nosque Divinæ voluntati per omnia conformes, gratiam à Deo speramus sanguinem pro Sanctæ ejus lege fundendi. Reverentiam Vestram obsecro, suam mihi benedictionem

nam imperator dominumque instaret, ut mihi Sanctam ejus fidem testari largiatur, vitæ inter tormenta effusione. Omnium in celo, Deo dante, memor ero. Trigesima Julii, anno millesimo sexcentesimo octogesimo sexto. Reverentiæ Vestræ humillimus in Christo servus & Filius Joannes ad mortem in odium Christi damnatus.

## §. 38.

*Regia erga Patrem benevolentia.*

**L**Egebatur hæc Epistola : & Patre Joanne infcio, multorum jam manus pervaserat. Unde ad ejus famam multum venerationis accessit: ceu viri inter Tyrannos Christi nomen generose testati. Verum ubi Regiam adivit, quam adire beneficiis regiis usquequaque devinctus cogebatur: dici vix potest, quo à Rege, quo à Regina, tum amoris, tum reverentiæ exemplo fuerit exceptus. Et Rex quidem à pueritia ejus amantissimus, quem ad Indias ægrè permiserat abire, ab Indiis redeuntem toto animo complexus est, benevolentiaque singularibus testimoniis cumulavit. Regina vero, eum ceu Martyrem venerata, voluit in Sacello Palatii sacrificaret: ut eo ad aras divina operante Mysteria, posset suæ pietati indulgere, & Sacram ejus manu Eucharistiam acciperet. Haud parum movebat Pandarorum habitus, quo ad repræsentandum Missionarium Madurensis datâ opportunitate indutus, Apostolicum quiquid præ se ferebat: at habitus vivendi ratione vincebatur.

## §. 39.

*Vivendi rationem in Missione consuetam observat.*

**N**AM ab egressu è Missione, ad usque regressum, terrâ mariq; eandem victus consuetudinem semper retinuit: orizâ, lacticiis, aquâ, herbis, leguminibusque contentus. Unde à Maravicis filvis ad Lusitanam Metropolitim translatus, nihil novi præter talem Societatis Jesu tunicam assumpsit, cetera totus Madurensis: afferi & pelli belluinæ ad somnum incumbens. Quod rectè existimantibus, magnam indicat animi constantiam. Cum vero ad Nuncii Apostolici mensam invitatus, nec posset recusare, nec vellet à proposita abstinentia recedere: sapientissimus ille Præsul ita dapes temperari iussit, ut nihil contra dignitatem mensæ, nihil contra Patris abstinentiam solitam appareret.

*Socios sibi adjungit : inter alios Patrem Schiedenhoffen  
piæ memoriæ.*

**P**ATER ergo Joannes jam urbanitatis perfunctus officiis, ut erat Provincia Malabaricæ Procurator : ita officii memor, totum se ei explendo impendit. Præcipuum erat negotium, Socios ad vastas illas Missiones accommodatos colligere : quibus præter solidam virtutem, corporis etiam robur, & peregrini idiomatis capacitas admodum est necessaria. Academias igitur, Eborensem & Conimbricensem perlustrat : ubi selecti juvenes, auditis prodigiis, & laborum proventibus copiosis, quibus divina bonitas Missiones Malabaricas illustrat, Patri Joanni totos sese lubenter tradiderunt. Rati sub tam generoso duce, majorem Dei gloriam haud dubie se quæsituros. Præceteris tamen Sociis specialem sui mentionem meretur P. Xaverius Schiedenhoffen, patriâ Germanus : qui studia jam emensus Theologica, Mathematicis insuper instructus, vir sanè magnarum artium, & præsertim cælestium, Missionem Madurensis singulari zelo expetiit. Et posteaquam eo delatus fuit, ad Saniassi statum, pro Brachmanibus convertendis, quorum ductio est difficilior, sensim destinabatur. Interim Pandarico more indutus, operis fervidissimi munus strenuè implebat : quando dysentericæ morbo impetitur. Ut erat P. Xaverius Patri Joanni charissimus & navigationis & Missionis Socius : vix dici potest quantâ hic sollicitudine, quanto affectu, ejus sanitatem procurarit. Pondicheri, post morbi datam exactè rationem, petebat pharmaca suo dilectissimo Xaverio : nec minore charitate à nostris Patribus Gallis ea inde subministrabantur. At cum jam melius habere videretur, & Pater Joannes à Maravis expetitus, sentiret admodum ab amico separari, ipse P. Xaverius, ne Joanne carerent Neophyti, voluit solatio ejus privari. Dumq; Joannes ad cruentum Martyrium properat, Xaverius recrudescentis mali tortionibus conficitur, atque iter ad cælum, ut piè credi potest, mense Januario Joanni præripuit, qui mense sequenti per carnificinam Maravicam eo pervenit. Verè par illustre sociorum, ad breve tempus collaborantium in miseriis, & æternum collatantium in deliciis.

*Regia liberalitas erga Missionem Madurensis.*

**I**AM vero collectis Sociis, adminicula quibus sustentarentur bonus Procurator inquirebat: tum ad Missionem ituris viaticum, tum in eâ laboraturis subsidium. At regia Serenissimi Petri pietas, Patrem anxîâ sollicitudine liberavit. Nam præter assuetos reditus, quos antiqua Regum Lusitanorum munificentiâ Missionariis assignavit, speciali etiam affectu Madurensis Missionem velut suam amplexus est: eamque annuâ pensione liberaliter dotavit. Hac igitur Procuratoris curâ Joannes solutus, animum ad iter Romanum, Præposito Generali Missionis rationem daturus intendebat. Verum, sive Regis autoritate impeditus, qui Patrem à se avelli ægrè patiebatur, sive aliunde retardatus, ab eâ excursionione abstinuit, Indicam navigationem cito repetiturus.

*Varia inquiruntur à Patre. De unionum piscatione.*

**I**Merim assidua amicorum conversatio, ad varias quæstiones urgebat responsum. Quærebant inter alia, quæ esset piscandarum margaritarum ratio. Quibus Pater hæc reponerat. Oræ piscariæ ad Comorini caput incolæ, quos Paravas vocant, artem hanc singulariter præ aliis Indiæ populis exercent. Hos Divus Xaverius Sacris imbuit, & prodigiis ad firmissimam fidem roboravit. Hinc, cum nuper Ministellus uxoratus eos pervertere niteretur: enimvero, dixerunt, tu mortuos resuscita, ut noster Apostolus, & fidem, quam nobis impressit, tum deferemus. At nec ille noster Thaumaturgus, nec quos jam habemus ejus Vicarios, uxorem & filios secum deducunt, ut tu novæ legis Doctor circumducis. Quo audito, rubore suffusus se recepit: ratus nihil à Paravis esse obtinendum, Romanis utique & firmissimis Christianis. Cum igitur ad suam piscationem se apparant, periculi sane plenam: animum primo expiant Pœnitentiæ Sacramento. Tum navigiis impositi, saxo ad pedes alligato, (quod ad imum delati statim excutiunt,) fune ad ventrem circumcincti, reticulum etiam indidem pendulum ad anteriora gestant. Tum toto nisu in profundum maris præcipientes, quâ possunt diligentia occurrentes conchas reticulo imponunt: jamque quantum satis onerati, funem movent,

& hoc signo Sociis indicant ut è profundo extrahantur. Attractione funis, proprioque natatu adjuti emergunt, & statim evomunt aquam marinam, cujus aliquem haustum vix possunt declinare. At si vel raiam, aliumve ejusmodi prædatorium piscem offenderint; vel socii, interdum furto margaritarum occupati, socium attollere debita celeritate neglexerint; de misero piscatore actum est. Conchas vero postea soli exponunt: cujus radiis expansæ, quid in illis lateat, apparet.

## §. 43.

*De Adamantum scrutatione.*

**I**nquirebant alii, qua ratione adamantes in Regno Golconda eruantur: an rupibus adhæreant, an intra earum viscera lateant, quâ tandem industriâ effodiantur? Huic quæstioni eo lubentius datum est responsum, quo utilius erat hominum cæcitati illustrandæ. Quid enim absurdius, quam toto pectore & animo ad lapillos inquirendos anhelare, cum sidera nobis promittantur, quæ despiciamus. Igitur scitote, adamantes in terrâ reperiri. Quem in finem, ad certam terræ mensuram effodiendam, certa nummiorum quantitas expenditur. Dato pretio, qua quisque potest majori diligentia inuat, & scrutatur terræ assignatæ viscera. Qui offenderit adamantes, forte gaudet alius manibus vacuis à labore redit.

## §. 44.

*De infami Sectâ Pareas dictâ.*

**A**T, inquirebat alius, vix capere possum, cur in tantâ abominatione sint illi, qui apud Indos Pareas vocantur. An nihil sapiunt, an ad nihil valent, an humanam indolem exuerunt? Hinc scias, inquit Pater, quantum obstinato phantasmati, licet ridiculo, tribuatur: dum consuetudine, non ratione regimur. Si ager ad seimentem excolendus est, si messis colligenda, nobilissimi quique cum his quos Pareas dicunt miscentur. Sæpe ex illis advocatur Medicus, ad curandos morbos: inter illos enim sunt, qui excellunt artis medicæ experientiâ. Ex illis etiam reperiuntur litterati, qui linguæ Grandonica norunt mysteria. Lingua illa est, velut Indiæ antiquissima, & omnium idiomatum hujus gentis mater. Silvestrium palmarum foliis ejus dogmata stylo ferreo insculpta, jam ab antiquissimis temporibus asservantur.

Hic

Hic scribendi mos, non tantum apud Indos, sed etiam apud Paguanos, Siamenses, & Camboianos admodum viget. Hæc porro folia, funiculo inserta, sub duplici paxillo constringuntur, & librum componunt. Quem dum volueris evolvere, paxillos solvis, & singula folia suo ordine revoluta tibi lectionem præbent. Hæc callent plures Pareas, & in aliis rebus ingenio pollent: attamen ex unico exemplo, quod multorum instar erit, innotescere poterit, quantâ in abominatione sint ejusmodi homines.

## S. 45.

*Exemplo probatur, quanto in contemptu, imo & horrore sit hæc Secta.*

**S**Ubdoli quidam Missionum nostrarum adversarii, sapius apud Travancoridis Regem instantes egerant, ut nos à sua ditione penitus expelleret: ad instantiam, munerum etiam promissa addentes, quibus vel durissima corda emolliuntur. Et Rex saltem in speciem videbatur eorum postulatis annuisse. Munera ergo deferuntur ad palatium, non sine pompâ: at bajuli erant ex infami secta Pareas. Vix illi primam palatii aream ingressi erant, cum subito velut à hostis irruptionem fit vociferatio: Pareas in Palatio, Pareas in Palatio. At nunc clamorem, velut bellifignum, insurgunt undequaque famuli, excutores, milites: factoque in Pareas impetu, qua armis, qua fustibus, eorum ultimam intentant ruinam. At hi relictis muneribus, vento celeriores aufugerunt. Nee parva in Rege fuit indignatio adversus eos, qui Pareas in Palatium immiserant. Quo factum, ut amissis muneribus adversarii, ob infames Pareas, ex illa negotiatione nil nisi infamiam retulerint.

## S. 46.

*Ad Indiam secundo se apparat.*

**E**ffusa Patris affabilitas, & magna rerum Indicarum peritia, largam conversationi præbebant materiam: verum pluribus immorari non vacat. Dum navigationis jam tempus urgeret, omnia itineri apparantur. At Rex, & specialissimo affectu in Joannem propensus, & ejus prudentiam præter alias virtutes in consultationibus gravissimis admiratus, eum à se avelli ægrè sinebat: jamque multa de eo apud se retinendo dederat indicia. Quæ cum Patrem latere non possent, animo in Deum erecto, & humanis rebus superior,



rior, ita per Neophytorum salutem peroravit, ut navigandi à Rege licet invito facultatem consecutus sit. Annus ergo aderat hujus sæculi nonagesimus, & dies præfinita, qua florentissima classis Vlyssipone solvebat è multis conflata navibus: quarum aliæ in Brasiliam, aliæ ad Caput viride, aut Formosas, dirigebantur, quædam Anglicos, aliosque portus petebant: at quæ maximi erant momenti, tendebant in Indiam. Unde intelligas, Vlyssiponem ex omnibus Europæ portibus commodissimum esse ad navigationem: ut qui uno die ad omnes orbis partes naves mittere; easque pari modo redeuntes & oneratas suo sinu excipere tutissimè potest.

## S. 47.

*Parum abfuit, quin à Rege detineretur.*

**I**AM ergo Joannes, mox vela facturus, Aulam adierat, ut Regis manus oscularetur, & ultima ejus jussa exciperet. At hic parum abfuit, quin tota navigatio perturbaretur. Quippe dum Rex, dum Regina, familiarissimam Patri benevolentiam exhibent, dum inter affectus tenerrimos ultimum vale dicitur, dum Pater jubetur Filiis Principibus benè precari: sensim sine sensu tempus effluebat, & subtiliter ad detinendum Patrem mora moræ necèbatur. Tandem tarditatis ille memor, & occasionis perdendæ metu sollicitus à colloquio Regio sese eripuit, atque ad Tagi littus scapham inquirebat, quæ navim conscenderet, quando illa sublati anchoris discesserat, & vento jam ferebatur. Ergo anxie inquietus ad omnem opportunitatem navis assequendæ oculos intendit, & tandem sorte optima Liburnicam, quam Fregattam dicunt, conscendit: quæ ut expansis velis erat celerior, onerariam Indicam assecuta est. Mira in sociis omnibus exultatio: qui Ducem suum jam putabant à Rege detentum, seque ductu ejus in tam periculoso itinere privatos. Omnes ergo lætitiâ pleni, & Patre Joanne tam nostris, quam externis charitatem paternam exhibente, Mozambicum primo feliciter perventum est, deinde Goam.

## S. 48.

*Goam feliciter pervenit, & festivè excipitur.*

**H**IC vero à Sanctæ Fidei Seminario socii mira festivitate salutantur. Adsunt cum Musicis instrumentis Sanctæ illius Domus à Xaverio fundatæ

datae Alumni, qui admixta vocum suavi Symphonia, venientes ex alio orbe Missionarios, mille miseris ex itinere fatigatos, mirum in modum exhilarant. Et Provinciae Goanae tum maximè elucet profusa benevolentia, dum Socios advenas, jam aegros curando, jam sanos recreando, usque adeo liberaliter excipit, ut omnem praeteritorum laborum memoriam abolere velle videatur. Et haec quidem Religiosa urbanitatis officia erga nostros fere quotannis Patres Goani magno charitatis exemplo exercent. Adveniente verò Patre Joanne de Britto, viro utique ad conciliandos animos aptissimo, crevit etiam ad eum excipiendum aemulatio. Atque ita datis debitae virium reparationi aliquot hebdomadis, perrexit ad Malabaricum Provinciale, suae procurationis successum expositurus.

## S. 49.

*Pater ad Provinciale Malabaricum pergit. Fit Missionis Visitator.*

**A**B hoc Provinciali perlustrandae Missioni Madurensi destinatus ad Pondichierianam Gallorum arcem se contulit: nostris in eâ degentibus, & viris primariis, quorum erga Missionem merita recolere par erat, gratitudinem ostensurus. Multum debebat, praecipuè Domino Francisco Martinensi: qui Regiae Societatis Director generalis, & recens ad Nobilium classem à Rege Christianissimo evehctus, huic arci praest, summâ prudentiâ, fortitudinis, & pietatis laude: vir sanè magni meriti, & apud ipsos etiam hostes laudatissimus. Hunc igitur, & alios insignes Missionis benefactores urbanissimè Pater allocutus, affectuosissimis officiis sic devinxit, ut ex amicis amicissimos fecerit. Erga alios praeterea quoscumque, tam amabili effusis affabilitate, ut omnibus suavissimam virtutum suarum fragrantiam impresserit. Nostros vero hic commorantes, usque adeo sibi adstrinxit, ut in omnium cordibus vivat. Mentem ferè hic exegit piis colloquiis semper intentus: quibus gratissimâ varietate continuandis dies noctesque insumebat. Pandari penitentis vitam, licet sapius ad lautitiam invitatus, toto eo tempore rigidè observavit: ac tandem Martyrii urgente desiderio, de quo frequenter medullitus agebat, ad Missionem revertitur. Hic incredibili zelo per sesquiannum amplius octo millia Catechumenorum sacro fonte lustravit: cerei instar ardentis, qui quo fini propior, eo vehementius exardescit & lucet.

*Missionem repetit, & Maravas invisit.*

**U**T autem ad Maravas, quo sponte ferebatur, sine morâ transfret: hæc eum impulit occasio. Tariadeven Princeps, Reguli legitimus successor, gravissimâ infirmitate laboraverat, omnium iudicio incurabili. Hic Catechismi Christiani sapius audita virtute, à Patre petierat illum coram se recitari. Quem cum auribus animoque perceperat, singulari Dei gratiâ à morbo curatur: certus omnino eam curationem divino potius subsidio quam humano deberi. Gratus igitur pro tanto beneficio, Patrem sapius jussit advocari, & Pater confestim iter ingressus, dum Patri Venantio Bouchette valedicit, mira de Martyrum excellentiâ ex intimo cordis deprompsit. Inde ad eam Provinciam mox se contulit, cujus Tariadeven Præfecturam exercebat: ibiq; Epiphaniæ Festum magno affectu applausuque celebravit, collato ducentis Catechumenis baptismo.

*A Principe petitur Baptismus.*

**H**OC aspectu commotus Princeps, idem etiam beneficium sibi committi flagitavit. At Pater, qui ejus polygiam noverat, (erant enim illi præter concubinas, uxores quinque:) docuit id Baptismo adversari, & tollendum prius esse hoc obstaculum, ac propterea Sacramentum hoc differendum. Tum ille, Baptismi factus avidior, Mox, inquit, hæc impedimenta fustulero. Et reipsa uxoribus indicavit: Audito Evangelio sanitatem se recepisse, vitam utique suam Christo deberi, ac propterea legem ejus velle se amplecti. Cum vero id non liceret ob uxorum numerum: decretum sibi unicum retinere. Porro aliis nequaquam se defuturum ad honores, ad divitias, ad omnia vitæ commoda & ornamenta: sed ut sorores benignè habiturum.

*Querela de Patre apud Regulum.*

**H**OC audito sermone, Uxorū junior in furorem acta, ad Regulum, cujus neptis erat, indignatione plena contendit: viduitatem suam aperit,

truique spem plorat. Quin etiam ad Brachmanes querelas suas extendit : præsertim ad eum, qui maximus inter omnes impostor, conscientiam ejus ad Idolorum cultum superstitionibus implicabat. Ergo illi omnes, Ministri dæmonis, consilio inito præclaram hanc Patris destruendi occasionem deferri, sibi mutuo applaudunt : atque sine morâ unanimes, furore eloquentiam ministrante, Regulum alloquuntur.

Invictissime Rex, Deorum cultus huc nos adigit : nisi promptum afferatur remedium, sacra omnia corruunt. Itàne Ministellus Europæus, augusta gentis nostræ numina, tamquam vana & fictitia explodet ; & ignotæ divinitatis legem populo tuo proponet, nobisque omnibus illudet ? Nosti, Rex, te Deorum venerationi fortunam tuam debere : quidque religionis amor à te postulet, vides. Nisi ingruens malum radicitus extirpetur, Numinum sancti claudi necesse est. Deficiente Deorum cultu, terra nobis hæc deserenda est, ne ruinis ejus involvamur : flagella enim & calamitates regnum tuum invadent, & oppriment. Ergone præstigiator ille sancta patrum instituta convellat ? conjuges à conjugibus separet ? & quidem propinquos tuos, sanguinem tuum, oculos tuos ? Pereat, pereat, Deorum patriorum hostis, ne omnes nos pereamus.

## S. 53.

*Reguli in Patrem indignatio : ingens persecutio.*

**R**egulus, etsi pro maturitate judicii, quo pollere dicitur, satis perspiceret has querelas maximè ex Brachmanum avaritiâ proficisci, quæstui suo per Deorum cultum inservientium ; tamen, & communi vociferatione commotus, & præsertim neptis charissimæ ejulatibus inflexus, jussit illico omnium Christianorum domos expilari, & flammis succendi, singulosq; pæna pecuniaria mulctari, unde ad miseras summas redacti sunt. Pater verò, qui eodem die Sacramenta multis administraverat, quasi miseras præfagiens, sapius omnes monuerat, ut mutarent sedes, sibi que fugâ consulerent, gravem enim imminere persecutionem. Dies erat octava Januarii : & ecce viginti ferè milites adsunt, Patrem in vincula conjecturi. Sereno ille vultu obviam illis processit : at illi accedentem colaphis & verberibus exceperunt, sicut etiam socium ejus Brachmanem, nomine Joannem : ambosque manicis ferreis prehensos, inter horrendas blasphemias & ludibria, ad publicam ignominiam producerunt.

*Adolescentuli duo ad Patrem comprehensum accurrunt.*

**Q**uod ubi advertere duo Adolescentes, quorum major annos quatuordecim non superabat, divino (ut videtur) spiritu impellente, tortoribus sponte oblatis, ad Patrem mirâ animi lætitiâ cucurrerunt, eumque tenerrime complexi sunt. At ministri dæmonis nihilo mitiores erga agnellos istos, paribus vinculis constrictos Pastori adjunxerunt. Cum verò Pater ad gressum accelerandum crudeliter traheretur, qui fractis viribus pedesque vulneratus, ductores accelerantes subsequi non poterat, totum iter sanguine effuso signavit.

*Idolorum currui alligantur.*

**T**andem ad vicum Anumandacuri magno labore appulsus, nexibus ferreis ad Idoli currum triumphalem cum sociis alligatur, gravissimo præterea compedum pondere adjecto, Mos est hujus gentis, currus ad pompam exornare, iisque Deorum suorum simulacra solemniter imponere. Ad deducenda verò hæc numina ingens fit concursus, octo interdum decemmillium, omnibus funem contingere gaudentibus. Ergo velut ad triumphum augmentum, ad currum ejusmodi constringuntur Christi athletæ, toto illo die prætereuntium fannas & scommata experti.

*Adjungitur Catechista.*

**P**ostridie ad Regiam Ramanadaburam coguntur pergere: illis interim Catechista Mutapa adjungitur. Assistebat hic Sacello ædiculæ, & Christianos adjacentes instruebat. Verum Reguli jussu, & Sacellum, & Christianorum tecta, post direptionem, igne à militibus injecto conflagrarunt. Catechista eodem quo Pater die interceptus, & crudelissimè vexatus, ad eum tamquam ejusdem criminis reus adducitur. Tum Pater charissimum suum Mutapam intuitus, & qua potuit tenerrimè complexus, eum toto affectu ad fortissimam patientiam animavit.

*Horrendæ contra Patrem machinationes.*

**U**BI ad Regiam pervenerunt, mox ad Regulum de adductâ prædâ sapius optatâ deferitur nuncius: qui quaestuosis negotiis implicatus, iussit interim captos asservari in custodia. At Tariadeven, certior factus de crudelitate in Patrem exercita, Patrem utique sibi charissimum: gravissime se offensum ostendit, voluitque eum benignè & honestè haberi. Verum illa ipsius Principis iussâ, haud multum valere: sæpe necessario deficiente alimento; & modico lactis, omnem oryzam, omne edulium supplente. Hostes interim, jam successu elati, jam in momenta efferatioris, & ferrum dum candet cudendum rati, furentem Reguli animum in ultimam rabiem præcipitant. Novas in legem divinam calumnias, nova in Patrem crimina evomunt: nisi Rex é medio mox illum tolli jubeat, nec Diis cultum, nec regno pacem posse sperari. At Princeps Catechumenus, & Patris, cujus innocentiam noverat, commiseratione tactus, & hostium ejus malitiam detestatus: Itane, reclamatione, innocens damnabitur? Id enimvero impium, & tyrannicum. Si per justitiæ semitam, ô Rex, incedere volueris, Patrem & loquaces illos adversarios advocabis, utramque partem audies: cui veritas, cui pietas adstipulabitur, pro hac sententiam feres.

*Tariadeven Catechumeni fortitudo.*

**A**T Tyrannus, iracundia jam incensus, graviter eum increpuit: minas, quia Patri favebat, fulminanter adjecit: imo etiam Idolis ibi adstantibus adorationem illico deferre iussit. Verum ille: Qui Christo salutem debeo, alias profus perditam, egone simulacris inanibus cultum præstem? Absit à me tanta impietas.

At alius ex eadem Aulâ non minimæ dignitatis satrapa, nomine Puvarudeven, sacro jam baptismo nobilior, quem post miram à novennali morbo curationem acceperat: ubi Tyranni minas audivit, Idolis cultum exhibuit. Sed statim perfidiam supplicio luit. Mox enim eum antiquus morbus tantâ ferociâ impetivit, ut ad ultimum spiritum se deductum sentiret. Unde facti pœnitens, & dolore intimo affectus, Christi è cruce pendentis imaginem afferri iussit: & ad illius pedes prostratus, crimen maxima animi compunctione deslevit.

Tyrannus

Tyrannus verò de satrapâ ad idololatriam reducto sibi plaudens: de Taria-  
deven idem se obtenturum sperabat. Quare jubet, ut exemplum alterius  
mox sequatur. At ille animo in Deum erectus, eamque perfidiam toto  
pectore detestatus, sanguinem se pro fide suscepta profusurum testabatur  
magnâ præterea laude Evangelii, quod audiverat, & virtutem & excel-  
tiam profecutus est.

## S. 59.

*Contra Patrem fascini conficiuntur supremi maleficii, sed frustra.*

**T**UM Tyrannus Principi Tariaeven: Cum tantopere & legem tuam,  
& Catechesim ejus deprædicès: mox ego efficiam, ut videas quantum  
Religio mea infami tuæ sectæ præpolleat. Efficiam enim ut tuus ille tantus  
Magister, quem stellis æquas, tres intra dies nullius lædentis contactu moria-  
tur. Extemplo igitur jubet apparari ea omnia maleficæ artis instrumenta,  
quibus fascinus execrandus componitur: virtutis, ( ut ajunt ) ad mortem  
inferendam omnino ineluctabilis. Et certè horrendum est ejus nomen:  
appellatur enim Patiragaspuci. Huic præterea tantam attribuunt vim &  
efficaciam, ut ex eo sequatur integra hostis annihilatio, quam Sata-  
xangaram vocant. Igitur Tyrannus, jam ex Regulo Necromanticus, tres dies  
huic fascino rite conficiendo insumpsit. Cui cum ipsi dæmonis ministri  
affirmarent, nihil hac ratione contra Patrem effecturum, quippe qui omnem  
etiam Deorum potentiam exploderet: tertio tamen illam insuperabilem fas-  
cinationem repetiit, semper illusus, & sperato eventu frustratus. Quod ubi  
advertère quidam hujus infernalis artis antesignani, facultatem petiere aliâ  
offerendi sacrificia, fortioribus etiam maleficiis roborata, quibus ipsa etiam  
Regum capita ineluctabili morte auferuntur. Hac fiducia pleni, sponderunt  
intra dies quinque Patrem se enecturos. Tyrannus, ne victus à Patre vide-  
retur, his annuens, longè turpius victum se comperit: cum adhibitis male-  
ficiis ne minimus quidem Patris capillus titubavit.

## S. 60.

*Pater coram Regulo comparet, sclopis transfigendus.*

**T**UM Tyrannus Patre accito, librum indicans, quem primo compre-  
hensionis impetu illi abstulerant, ( liber is erat Officium divinum Sa-  
cerdotum,

erdotum, vulgo Breviarium.) Illene, inquit, incantatus liber est; quo incantationes omnes eludis? Cui Pater: Liber ille præstigias nescit, sed psallendis divinis laudibus totus consecratus est. Indignatus ad hæc Tyrannus, Patrem scoporum ictibus in medio areæ, ceu scopum, exponi jubet, Brevario ad collum appenso. Jam videbimus, ait, an armis nostris præstigiæ tuæ resistant. Eja milites, scopos displodite. Cum hi præsto adefsent: ecce Tariadeven in medium prosilit, & contra Tyrannum vociferatur: Næ tu, si Pater moriatur, morientem comitabere. Siccine immanitati contra innocentiam indulgetur? Tyrannus ad hæc protinus jussit ab explosione abstineri: cautè dissimulans. Quoniam enim Principatum se invalisse cognosceret, cujus hæres legitimus esset Tariadeven, atque huic multi procerum adhærent: poterat inde motus gravis, aut conjuratio exoriri. Quare, Patrem in carcerem remittit, aliquot post dies remittendum ad Fratrem suum Urejardeven, bidui intervallo à Regia remotum, ubi sine strepitu trucidaretur.

## §. 61.

*Pater à Filiis charissimis avellitur.*

**P**ater autem ubi audivit se à sociis loco movendum: incredibile est, quibus ejus animum dolor transfixerit. Nam & tenerrimè flebat, & suavissimo in os amplexu velut charissimos filios stringebat: unumquemque fortiter exhortans ad vitam ei reddendam, à quo acceperant, fide ad mortem usque inviolabili. Patris affectui profusus respondebat filiorum affectus, mutuas reddentium lacrimas, mutuis Parentem prementium amplexibus. E gregium pietatis spectaculum: quo gentiles ipsi ad lacrimas commoti sunt. Violenta accidebat hæc separatio, quam hinc amor filialis, inde cor paternum fugiebant: sed necessitati duræ cedendum fuit. Patrique licet admodum debili ad iter bidui procedendum. Iter ergo ingreditur, pedes vulneratus: & ad passus fere singulos titubat. Ne omnino deficeret, Brachmanum aliquis equum ei commodavit, ad modicam viæ partem conficiendam: reliquam, inedia pæne confectus, jam stimulis impulsus, jam raptatus, inter tyrannicas satellitum vexationes confecit, atque ad locum destinatum pervenit, non sine adstantium admiratione, qui humanitus vix fieri posse dicebant, ut inter tot tantasque infirmi, maridi, fractique corporis contorsiones, homo vivus subsisteret.



*Comparet coram Reguli Fratres.*

**E**Rgo ultima Januarii invictus Christi Athleta, ad vicum Orejur appul-  
sus, terminum quo à regno Tanjaor Marava Principatus dividitur,  
juxta ripam fluvii Bambarru: mox ad Urejardeven Reguli Fratrem ibi regen-  
tem accersitus deducitur. Statim de Religione proponitur argumentum:  
disputatio inchoatur. Verum Urejardeven, magis de salute corporis, quam  
de Religione, à qua omnia pendent, sollicitus, multis enim abhinc annis  
pedum manuumque paralyfim patiebatur: ardentè à Patre sanitatem deposcit.  
Hunc in finem uxores omnes ad pedes ejus jubet prosterni: additâ spon-  
sione, si vires restituat, non modo carcere liberandum, sed muneribus etiam hono-  
ribusque augendum esse. At Pater: Munera, & honores, tibi sunt, ò Prin-  
ceps: nihil eorum movere me potest ad salutem tibi à summo Numine  
postulandam, à cujus nutu vitæ tuæ stamen dependet. Equidem, si volueris,  
non omitam tibi ea procurare medicamina, quæ ad morbi hujus expulsio-  
nem, magnam habent virtutem. At, sanitatem perfectam, quam cupis,  
tibi sine medicaminibus restituere, solius est omnipotentis Dei. Quem si  
colere animo toto decreveris, meas quoque pro salute tua preces, àbens  
adjungam. Ille huic responso minimè acquiescens, Patrem jubet in carcerem  
detrudi, simulque præparari instrumenta supplicii. Per triduum ad refectio-  
nem aliud habuit nihil, quam lactis pauxillum. Tertio die, mortis vesperâ,  
hanc ad Superiorem Missionis Patrem Franciscum Laynes epistolam scripsit,  
stipulâ calamum, carbone atramentum supplente.

*Patris Epistola, ad mortem damnati.*

**M**I Pater Superior, meique omnes Socii. Pax Christi. Quod contigit  
à meâ comprehensione, ad Canajen Catechistæ discessum, ipse jam  
Reverentiæ Vestræ retulerit. Vigesima octavâ Januarii ad tribunal evocatus,  
mortis sententiam accepi, scloporum glandibus ferreis transfigendus. Ad  
eum locum deducor: ubi scloporum ictus accipere debebam: omnibusque  
ad dispersionem ordinatis, Regulus tumultum veritus, à Sociis gloriosis  
Christi confessoribus me avulsit, remisitque ad Fratrem Urejardeven, ab

Statim trucidandum. Ad ejus Palatium perveni ultimâ Januarii, non sine magnâ molestiâ, ductusque fui ad tribunal. Nunc mortem opperior pro Deo meo, & Domino meo. Utique bis unice quæsitam in Indiis, in Missionibus, in Maravis: magno quidem labore, sed præmio incomparabili. Quam in me accusant culpam, hæc est: docere me legem Dei Domini nostri, sola vero nequaquam esse colenda. Dum culpa virtus est: pati quoque est gloria. Unde & solatio plenus sum in Domino. Semper habeo in conspectu milites: ideoque pluribus abstinco. Valetate mei Patres. Reverentiarum V. V. benedictiones & sacrificia plurimum efflagito. Ex carcere Orejurtæ Februarii anno millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio. Vestrarum R. R. indignus in Christo servus, Joannes de Britto. Hæc epistola ad litteram reddita servatur à P. Francisco Laynes pretiosi instar thesauri. Aliam ejusdem tenoris scripsit ad omnes Provinciæ Malabaricæ Socios, omnium in Christo memor.

## S. 64.

*Pondicheranos amicos per Brachmanem salutat.*

**A**micorum etiam renovatâ memoriâ, moriturus Pater Brachmanem ad Pondicheranos expedivit: qui cum toti fere Patris persecutioni interfisset, ei tantillum cibi apparans & ministrans, minutim referebat historiam patientis Athletæ, non sine tenerrimo in auditoribus sensu.

## S. 65.

*Patris ultimum certamen, & fortissimum.*

**Q**uarta igitur Februarii ad carcerem mittuntur quinque carnifices, quibus jussu judicis Pater traditur, capite, manibus, pedibusque truncandus, & dein stipiti infingendus. Barbarè irruentes Pater benignè excipit: trahentes ad supplicii locum toto corporis nisu subsequi conatur. At quo majorem sibi vim inferebat, eo durius impij Ministri, qua pugnis, qua calcibus eum propellebant. Ad campum tandem adducitur carnificinæ destinatum, & jam innumerâ hominum multitudine circumseptum. Aliquid spatii petiit, ad Deum sibi propitiandum. Acceptâ facultate, ad stipitem prostratus, totum se Deo in victimam dedicat, totum se Christo in cruce morienti conjungit, oratione ad quartam horæ partem productâ. Tum ad carnifices conversus,

conversus, quanto potuit affectu eos complexus est. Quo peracto, officium, inquit, vestrum, exequimini, en præsto sum. At illi, impetu facto, tunicam ei primo dilacerant. Tum conspicati thecam aliquam ex humeris pendulam, (theca erat Reliquiaria.) Hic, inquiunt, latent præstigiæ: abstinemus à contactu. Tum carnificum unus, securi valide in humeros libratâ, & funiculum abscidit à quo pendeat theca, & gravissimum vulnus infligit. Erat securis illa modicè arcuata, instar falculæ, quâ ad immolationem animalia jugulantur. Eam igitur sæpius in cervicem Athletæ tota vi impingunt: cumque nec sic caput possent abscindere, sublatâ barbâ, quam fune adstrinxerant, jugulum confodiunt, corpore retrorsum procidente. Tum manus, pedesque præcidunt. Eo autem momento, quo in genua flexus Athleta mortis ictum operiebatur, (indignantibus ad hanc immanitatem adstantibus, aliis non sine fletu commiserantibus: ) en duo Christiani, cælesti igne accensi, ad Patris sui pedes se provolvunt, dicentes filiis commoriendum esse Patri suo. At carnifices, iis amotis, iram omnem in solum Patrem tunc exercuerunt: filiis postea auribus & naso mutilatis. Truncum corpus stipiti fuit infixum, capite ei adjuncto. Unus ex illis jam mutilatis, pedes manusque ad stipitem collegit, diu juxta Patris sui corpus in orationem profusus, & lacrimas: summopere dolens, quod vitam unâ non amisisset. Patre trucidato, ad corporis custodiam satellites fuere adhibiti. Ad perquirendas Reliquias Christiani totâ diligentiâ incubuere, blato etiam pretio. Quod gentiles conspicati, eas cautius, aut occultarunt, ut dissiparunt.

## §. 66.

*Patris Reliquiæ colliguntur: in Pondicheri asservantur.*

**P**ræcipuæ tamen Reliquiæ quoquo modo collectæ sunt. At securim, & scipionem, & tunicam, ne aureis quidem multis à Gentilibus redimere potuerunt: dicentibus illis, se earum rerum adminiculo à dæmonis infestationibus esse liberos. Præcipuas ergo Pater Franciscus Laynes suo sigillo signatas, ad arcem Pondicheri transmisit, Domino Directori, & R. P. Guidoni Tachard, asservandas: Ubi in Sacristiâ Templi Societatis Jesu sepultæ custodiuntur. His vero afferendis, quinque interfuerunt Christiani: è quibus unus Catechista, alter adolescentulus, compedes cum Patre passi erant; tertius vero, dum sperabat commori, mutilationem morte duriorum acceperat.

Pastore occiso, magna fuit in grege trepidatio. Tyrannus vero, ut Christianissimum sua ditione radicatus extirparet: Sacrificia variis in locis fieri iussit, quibus omnes sub gravissimâ pænâ interesse tenerentur, Idololatriam professuri. At Pater Franciscus Laynes adest, Christianis animum daturus: peroratus etiam in media se conijcere discrimina, Victoris Athletæ dignum commilito. Ne autem defuncti excidat memoria, rudem ejus hic imaginem accipe.

## S. 67.

*Character Patris Joannis de Britto.*

**E**Rat Pater Joannes de Britto corpore delicato, non robusto; staturâ, ad parvam declinante; complexione ad nobilem indolem temperata; facie aliquantum protensâ. Nasus ei proportionatus, oculi parvi, at vivaces, & sereni: quibus, uti toto vultu, suavissimam affabilitatem spirabat. Sermone admodum blandus. Capilli nigri, barba promissa & densa, jam canitie albicabant. Faciem totam, à nativo colore candidam, solis ardor non parum infuscaverat. Corpusculum, ingens inhabitabat animus; ingenio sagax, judicio maturus; ad considerandum attentus; ad exequendum efficax; ad omnes labores intrepidus, benevolus, liberalis, generosus. Unde & omnium animos sibi devinciebat. Jam verò, si ex humanis vestigiis, aliquid de minorum charismatum thesauro conijcere licitum est: charitate erat inexplebili, & indefessa: ad cujus imperium & mensuram, ceteræ collaborabant virtutes. In supremo fine quærendo sapientia, in mediis applicandis prudentia, ad agendum ardor ingens, ad sustinendum fortissima patientia: super hæc tanta conscientia puritas, ut qui eam tractarunt in pænitentia tribunal, vix absolutionis materiam deprehenderent. Dei inhabitantis haud leve indicium: cujus tanta vigeat in Patre æstimatio, tantus ardebat amor, ut pro ejus unice dilecti gloria, vitam profundere medullitus exoptaret. Optatam tandem Martyrii, occasionem assecutus anno ætatis quadagesimo quinto, à partu Virginis supra millesimum sexcentimum nonagesimo tertio, die quartâ Februarii, Maravis imperante Tyranno Ranganadeven, Missionis Madurensis operarius aterna laude dignus.

F I N I S.

# PROTESTATIO AUTHORIS.

**S**I quid in relatis aut sanctitatem, aut miraculum, aut Martyrium asserere videbitur: id omne Pontificiis decretis subjectum volo. Macai 18. Januarii 1695.

JOANNES BAPTISTA  
MALDONADO.



IN-

124

INSCRIPTIO  
AD AGONEM APOSTOLICUM  
R. P. JOANNIS  
DE BRITTO.

Spectator adesto, qui Lector fuisti.  
Melius intelligas,  
Quod carnificis cruenta rubricavit securis,  
Quam quod atratus obscure calamus pinxit.  
Ingressus pugnae campum, vidisti squallidum:  
Ne mireris squallere, non rigatum.  
Rigatus, mox purpurascet in Rosas,  
Virebit in Lauros.  
Jam prodiit Athleta vitam daturus,  
Ut moriendo vincat.  
Ad arborem prostratus orat:  
Exaltatus in arbore, exorat.  
Toto animo caelum ingreditur,  
Solum corpus relicturus in terrâ.  
Amplexurus tortores, ovis induit mansuetudinem:  
Qui pugnaturus leonis aestuat spiritu.  
Nectitur, cervicem remittit, humili jugo assuetam.  
Quid moraris carnifex?  
An Reliquias times in thecâ?  
Ille ipse Reliquias apparat, orbi toti dividendas.  
Age, quasi ad belluam, securim exime,  
Qui gladium huic victimae negas,  
Feram ratus, non hominem.  
Non sufficit è cervice casâ scaturiens sanguis:

Totus

Totus erumpat è gutture , quo tota rubeat hostia.

O scissum guttur !

Quam latè jam personabis :

Lator hinc ad spiritum , & ad Dei verbum aperitur via.

O Sacrum caput !

Laureæ sedes dignissima.

Quid ni & pedes refecantur à corpore ,

Ut longius excurrant ab eo rejecti , quam conjuncti ?

O pulchri Evangelici pedes !

Oscula accipite , & pacem date.

Vos verò sacratæ divino contactu manus ,

Vos summi operis in Arâ architectæ :

Præcisas miror , eo liberaliores ,

Quo pluribus partiendas.

Eja quid moraris carnifex ?

Peractum est sacrificium.

Erigatur in arbore tuæ spectaculum crudelitatis :

Fulgeat Apostolicæ trophæum charitatis.

Florebit deinceps Palmis sæcundata & Lauris

Maravica silva.

Huc , qui coronas quæritis , advolate.

O Joannes !

O gloriose Christi ad Maravas Præcursor !

In te Baptistam veneror.

Tyrannum superasti , Herode immaniolem :

Fuso sanguine purpuratus ,

Cæso capite laureatus.



123

Tons erumpat & gutture, quo con-  
 O Jovis gutture!  
 Quam sua sua res  
 factore ad puerum, & ad  
 O sacrum caput!  
 Iamque loca dignissima  
 O Jovis caput, & puerum  
 O pulchrum puerum, & puerum  
 O Jovis caput, & puerum  
 Vos vero sacra digne con-  
 Vos Jovis caput in Arce  
 Iustas tunc, eo liberatis  
 O Jovis caput  
 Et quid morari curatis?  
 Periculum est sacrum  
 Ergo in aere non spectant  
 Fugit Apollonem propitium  
 Florent domos Patris  
 Minerva ille  
 Ille, qui coronas dantis, alio  
 O Jovis!  
 O gloriose Christi ad  
 In te Babylonem  
 Tyrannum superbi, Jovis  
 Sub Jovis capite  
 Cui capite Jovis

RES.  
 4091/3 ✓

